
V
B
I
C

6 gbr

3 złr



MODI LX
SACRÆ
ORATIONIS
variè
FORMANDÆ.

A

P. CASIMIRO WIIUK
KOIAŁOWICZ
Societ: IESU
S. T. Doctore,

In Gratiam Incipientium collecti & Praxibus illuſtrati.



V I L N Æ
Typis Academicis Societ: IESU
Anno CHRISTI. M. DC. LXXXIV.



Quid enim? sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

Ad Philip. cap. 1. v. 18.

INDEX
Rerum notabilium.

La-

MODI ORATIONIS SACRÆ FORMANDÆ.

Præmonitiones.

I.

NIhil mihi vobiſcum, magni orbis Doctores: niſi ut veniam petam, quatenus liceat, ſimplici rate, aureum littus veſtri maris radere. Felices, quos Spiritus ab alto imbuit! de cujus plenitudine prolocutus Petrus, repentinus è piſcatore Orator; plura hominum millia uno ſermone; quam piſcium, multis retibus cepit. Hujus impetu velificatis, hujus motu, corda animoſque hominum impellitis; perfectiſſimo, ac vobis noto ſapientiæ Diuinæ magiſterio. Illis interea qui vos à longè, deſiderio ſequuntur: quemadmodum alijs ſubſidiis, ita arte & exercitatione, opus eſt: ut creatura, ſuo cooperetur Creatori. Nam *ſi rumpuntur retia*, id eſt, ſi ſermo eſt non ſatis diſpoſitus, & aptus, *& non labitur piſcis, non humanæ*

hoc facundiæ est opus, sed supernæ vocationis munus, inquit D. Ambr. in caput 5. Luc. Quanquam in hoc genere orationis, semper humana facundia & ingenium jacent: nec plus valent; quàm Divini eloquii, obsequiosa instrumenta.

II.

Qui modos hos, volet sibi auxiliares; assumpta sententia dictionis, adeat unum, alterumve illorum: atque adeo cum placet, plures explorando, quis eorum sententiæ tractandæ commodior sit. Omnes certè non percurret, quin excitetur ingenium, & voti compos fiat. Id tanto potiori jure faciendum, quia non ex quovis loco, duci quævis oratio potest: nisi quis, non tam obviam recipere, quàm reluctantem reclamantemque rapere velit: quod genus dicendi, & spiritui & ingenio obluctatur: ac idcirco; etiam post laboriosos conatus, parvum fructum facit. Iuvabit insuper, ad facilitatem usûs eorum acquirendam, eandem sententiam exercitationis causâ, à Tyronibus juxta varios modos tractari. Unde id quoque solatii veniet, quia luce clara cognoscent, sacrarum fæcundi-

cunditatem ſcripturarū: quæ de eadem re, diverſiſſimè dicenti, ſententias & ſenſus tot, varietati dictionis conformatos, ſuppeditabunt: ut vix ipſe orator, de eadem re à ſe dici, ſibi credat.

III.

Quia ad facilitatem præceptis comparandam, Praxes, ſiue exempla ſingulis ſubnecto: nemo ab iis obſecro, aut cultum ſingularem aut *eruditionem* exigat. Exiſtimo enim minimum intereſſe, quàm comptus ornatuſque ſit ductor: dum iter rectum monſtret: & monente S. Leone Ser. 3. de nat. *melius eſt, doctos onerare jam notis, quàm rudes fraudare diſcendis.* Nemo etiam formam perfectam Orationis ſacræ, ex iiſdem exemplis ſumat: quia non ago Oratorem; ſed puncta quæ poſſent oratione deduci, ſuggero. Hoc moniti, vel ideo adjecero, ne videar ſubjectis praxibus omni affectu deſtitutis, probare illorum morem, qui non pauca in orationem congerunt; minimè autem intellectui convincendo, ac perurgendo affectui, inſiſtunt: atque ideo, fine ſuo, quod monet A.R.P. Noſter Claudius Aquaviva Epiſtola de

Concionatoribus §. secundo facillimè fraudantur.

IV.

In dividendis his modis, non ita spectavi series generum, & specierum, ut singulas rigidè atq; Metaphysicè distinguerem, sed majoris claritatis gratiâ, nonnunquam, tanquam novos distinctosque explicui, qui alio capite includi meritò poterant: quemadmodum etiam multos, brevitatis studio non distinxi, quibus distinctio conveniebat. Facilè obtinebo veniam apud Logicos, si utiliter instruxero Rhetores. Porrò quia duplex est classis, assumptorum ad orationem sacram formandam, modorum: altera quæ ex scripturæ sacræ fontibus, apertiùs fluit: altera quæ de rivis Rhetoricis, notiùs ducitur; digniori primas partes meritò concesseris: Utriusque autem nexus esto, ut principia Rhetorica scripturæ sacræ firmentur robore, & in scripturæ proponendis dogmatibus, Rhethorico utamur ductu, ne humano destituamur progressu.

V.


Nunquam Tyro ad dicendum procedat,

quin apud se priùs statuat: quod vitium oratione persequi, aut quam virtutem commendare velit. Ita fiet, ut & certo passu, ad scopum tendat: & multa vana, in verbis rebusque devitet: felicior Orator si ejus persvasu, quispiam de plebe, sincerè pectus tundat: quàm si ad inanem eloquentiæ famam tota ciuitas plaudat. In Panegyricis Orationibus, id propositum servari, difficilè posse videtur: verùm quid est sanctorum virorum, sanctè gesta memorare, nisi eorum virtutes imitationi proponere? Quod tantò utilius fit, si certis, & auditori accommodatis virtutibus exaggerandis, Orator magis inhæreat: aut, si post Panegyrim, populum ad imitationem virtutum ferventer hortetur.

VI.

Ante omnia quicunque optat veri prædicatoris Christiani meritum adipisci, non aliud prædicet, quàm IESUM Christum crucifixum. Deploranda, nec ullo loci, aut Provinciæ, aut principum genio excusanda perversitas: qua in concionibus, aulicissimi, dicteria, & Æsopo penè similia somnia, è ruderibus indignissimæ eruditionis petun-

tur: ſcripturæ autem auctoritas, & ſinceri, nec malè torti ſenſus, contemnuntur. O peſſima judicia! De Nazianzeno in Apologet; concionator, *Deus eſt, & qui alios Deificet*. Quis illud Dei os appellet, à quo plures venundantur lepores in cathedra, quàm emantur lepores in emporiis? Hi ſunt, qui Hæreſes ſcandalizant, pietatis integritatem ſubvertunt, verbum Dei adulterant, ejuſdemque eſuriem ſinceram malis obſoniis corrumpunt. Infelices! ſi (quod ex eorum grege nuper non nemo) à morte audiant. *Prædicâſti te pro me, accipe in mercedem, te pro me.* Tu quiſquis hæc leges. Ora pro me & Te, ut ſint hæc procul à nobis. Interea labore tibi devoto, ſi juvat, utere.



MODUS PRIMUS.

Sacræ Orationis formandæ.

CONſtat, ex reflexione, *ad Naturam, ad Artem, & ad Scripturam.* Hoc modo orationem formaturus, perſpectâ ſententiâ dicendâ diligenter, hos tres gradus pervideat: ut quod ſuggeſſerint, ad

pro-

probationem susceptæ rei transferat, quod fiet, si expendatur, quid de materia dicenda suggeri possit, ex natura rerum, quid ex arte, historiis, Poëtis, picturis, tum quid ex scriptura. E. g. ad illa verba Matth. 4. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*, expendere posses, Dæmonem; cum nos filiatione Dei adoptiva vult spoliare, nunquam aliud suadere; quam ut nos mittamus per peccatum deorsum. Est enim peccatum, *ingens deorsum seu profundum*, cui comparare deberes. In natura, foveas præcipites, profundum Marium. In arte, puteos & carceres. In scriptura, specum Danielis, repletam leonibus, Dan. 6. Saltum Absalonis, plenum præcipitiis & infamem absumpto exercitu 2. Reg. 18. Abyssum Sodomę & Gomorhæ cœlestibus repletam ignibus. Gen. 19.

Similiter Dominica quarta post Pentecost: ad illa verba. *Laborantes nihil cæpimus* Luc. 5. posset formari propositio. Deo abnuente aut reluctante, omnes humanos conatus in cassum ire. Docet id Reflexio *ad naturam quia*, non quâ volumus, sed quæ datur, cæli temperie, vel intemperie. Terræ fæcunditate vel infæcundi-

tate, Marium commoda vel incommoda tempestate; Aëris salubri vel non salubri haustu fruimur. Docet item eadem pestibus, morbis, bellis, mortibus, nullis viribus humanis (Deo abnuente) superabilibus. Docet reflexio ad *Artem*, quæ apud Poëtas ingentia hominum molimina, Gigantum bella, affectatas cæli sedes, in irritum cecidisse, narrat. Bene etiam quispiam ex Neotericis, idem designavit, Horologio rotatili sparso, hac epigraphe affixâ. *Sine Dei numine, nihil est in homine.* Docet denique innumeris locis *reflexio ad scripturã* Ps. 1 Psal 45. in Histor. Regum. circa persecutionem Davidis à Saule. In libr. 1. Danielis circa conspirationem contra eundem, & aliis locis plurimis, Sit.

PRAXIS.

Dominica 17. à Pentecoste.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 21.

ACcessus & propositio. Quæ nostra, cara quoq; nobis. Cara domus, quia nostra, cara suppellex, quia nostra. Hac via ipse Deus se nobis commendat, cum ita dilectionem sui exigit, ut se, esse nostrum

protestetur, inquiens. Diliges Dominum *Deum tuum*. Expendamus igitur, quibus rationibus Deum *nostrum esse*, nobis persuadere possimus Ut eo modo ad ejus dilectionem accendamur.

Confirmatio.

Per Reflexionem ad Naturam, Artem, Scripturam.

R*Eflexio ad naturam*. Respice ô homo te, & quæ circumstant te, nec aliud facilius occurret, quàm quòd Deus, Deus tuus est: Clem. Alex. in exhort: ad gentes, orbem vocat *Academiam, in qua DEVS discitur*. Non dispari merito affirmaveris Academiam, in qua Deus, Deus esse noster docetur, quandoquidem omnia quæ in mundo sunt, *portant amoris nostri pignus, proferunt indicium, indicant memoriam, inducunt notitiam*, ut item loquitur. Gilbert. Ser. 4. in Cantica. Et vero; factum est ut cum non essemus, existeremus, Creator noster est: ut cum simus, non desinamus, conservator noster est: ut cum vivimus, ille animet. Vita nostra est: ut cum spiramus, ille recreet; spiritus noster est: ut cum operamur, ille agitet, motus noster

ſter eſt. Quicquid denique ſumus, ille nobis totum eſt. In àëre ſpiraculum, in igne calor vegetans, in aqua humor refrigerans, in terra fulcrum ſuſtentans. *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt dominus*, Prov. 16. *Propter ſemetipſum ſcilicet gratuita bonitate*, ait Bernar. Serm. 3. in Pent. *Propter electos ſuos, pro eorum utilitate.*

Reflexio ad artem. Improbum mundi amorem, improbiſſimi ejus amatores, ut affectibus humanis inſinuent, mirè effingunt. Iuvenem, ut à forma commendent: armatum, ut à robore; inermem, ut à facilitate. Applicant ſagittas, ut cor feriat: adimunt, ut rapiat; nullius denique mutant ſpeciem & vultum, uno ſemper propoſito, ut tot modis dignum leto cupidinem, alant: & ad ſui placitum efformando, perſuadeant ſibi, quod ſuus ſit. O quam dignioribus amor Divinus variat formis, ut hoc nobis perſuadeat, quod Deus, Deus noſter ſit.

Se naſcens dedit ſocium.
Conveſcens in edulium
Se moriens in pretium
Se regnans dat in prœmium.

O utinam auſcultemus? utinam intelligamus,

gamus, quod Paulus dixit, ad Hæb. 2. v. 17. *Debuit per omnia similari fratribus*, ut omnes scilicet lucrifaceret, & omnibus persuaderet, quod eorum esset. *Ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ovis, ipse agnus. omnia in omnibus pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fieret, inquit Epiphan.* hæres: 51. ubi advertere potes, ad illa verba, *ut nobis vita omnibus modis fieret.*, & mirabiles modos, quibus salutem humanam operatur late prosequi.

Reflexio ad scripturam. Aderat vir, ætate pariter ac pietate venerandus Societatis nostræ Sacerdos communi à mensa gratiarum actioni, notavitque eum qui præibat, verba *Pater noster* ex præscripto præcum, clara voce dicenda, silenti sibilo absumpsisse. Effundi igitur senex in lacrymas, ac inde graviores singultus, quorum rationem dare jussus. *Quid ni ait graviter ingemiscam, quando hodie dulcissima illa verba, quibus Deus se nostrum esse quotidie persuadet, id est, Pater noster, audire non merui:* cum præsertim, idem Dominus, gratissimum

mum id sibi ostendens. Ier. 3. 4. edixerit. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem à modo, voca me, Pater meus, & Dux virginitatis meæ.* Expende pii senis, & scripturæ sacræ dulces affectus, cui similes dabunt concordantiæ scripturarum: Nobis sub proposito suscepto, non licet esse tam disertis. Felices! qui cum Deus nostrum haberi se cupit, cum Thoma respondeant. *Dominus meus & Deus meus.* Ioann. 20. aut cum Francisco Seraphico, decernant. *DEVS meus & omnia*, aut sponsæ gratiam mereantur protestantis: *Dilectus meus mihi & ego ipsi* Cant. 2.

MODUS SECUNDUS.

PEr *Reflexionem, ad usum alicujus rei communem*; sive is communis sit locis, provinciis, Regnis particularibus, sive magis universalis toti orbi aut Ecclesiæ. Proceditur autem duplici modo: aut usûs illius, & consuetudinis, naturam, causas, cæteraquè adjuncta, examinando atque explicando: aut reflectendo se, supra materiam obje-

objectam sermonis & quibus illa usibus, publicis, aut privatis deserviat, inquirendo. *Exemplum primi* dare potest die Purificationis Beatae Virginis Mariae, in quo potest agi. *Cur hic dies, dicatur, dies candelarum, & in eo candelae consecrentur.* Esse autem potest causa, V. G. Quia hic dies est substitutus festo Cereris & Proserpinae, quae cum facibus celebrabantur, ut docet Canis. libro 4. cap. 12. 2. Quia hodie illuxit palam in templo, novum lumen Christus, prophetante Simeone, quod sit paratum ante faciem omnium populorum: ut si non rectè ab inde *ambulatur*, *non adscribatur lumini, sed errare volenti, & oculos claudenti, ad splendorem ejus* inquit Cassian. 3. Significatur pulchritudo D.V. Mariae quòd in tenebris communis Purificationis, innocentissima apparuit: & tanquam lux fulsit, *tota pulchra sine macula*, & sine fumo, solùmque *lucerna lucens & ardens*, ut loquitur de Baptista, caput Ioan. 5. 4. Significatur vitae nostrae exitus, pro quo Simeon orat, ut fiat in pace, ad quam dum imus, ut lumen deficimus. 1. Ab ipso accensae lucis & vitae momento. 2. Insensibiliter ut

candela.

candela. 3. Ita ut facillimè extingui possimus. 4. Et sæpe insperatissimè. Bene hæc lucerna ardet illi, cui inextincta virtus durat, donec eo perveniat, quando extremũ agenti vitæ, candela sacrata in manus more Christiano conferetur. Væ autem illis, de quibus Baruch.cap.6. *Lucernas accendunt, & quidem multas, ex quibus nullam videre possunt.*

Exemplum secundi, dare item potest Dominica Sanctissimæ Trinitatis ad illud thema. *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Reflectere enim se quispiam posset. Quibus usibus piorum, hæc forma verborum, deserviat, atque eos usus ad laudes Sanctissimæ Trinitatis referre. E.g. 1. solemus hac forma uti in professione nostræ fidei. Et quando hæc, magis fidelem decet, quam hoc die Sacratissimo? Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus! dissipentur Athei, contra quos Deum profitemur: dissipentur falsi multorum Deorum cultores, contra quos unum Deum credimus: dissipentur Ariani, contra quos Patrem & Filium personas æquales, ejusdem individuæ Deitatis credimus &c.

2. Sole-

2. Solemus hac forma uti, in eventibus admirandis, ut ſi quid inſperatum, grande, ingens contingat ſtupentes exclamemus. In nomine Patris: quid hoc? quomodo factum eſt &c. An verò eſt dies? aut eſt occaſio? in qua nobis majora ſe miracula offerant, quam hodie? audimus Patrem, ab æterno generantem, & in æternum generaturum ſinè prolis auctione, quid hoc miraculi? Audimus Filium ab æterno generatum, ſemper tamen generari. Quid hoc miraculi? Audimus Deum in natura unum, in perſonis trinum, unde verè unum, & verè trinum. Quid hoc miraculi? Sic poſſent alia attributa, tam eſſentialia, quam Perſonalia percurri, omnia utique unâ admiratione concludenda. In nomine Patris &c. &c. 3. Solemus hac forma uti in omnibus benedictionibus rerum. Verè enim benedictio noſtra Sanctiſſima Trinitas eſt, & neq; in hac vita aliter benedicti eſſe poſſumus, quàm in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, neque etiam in futura: in qua tota benedictio, eſt Sanctiſſimæ Trinitatis viſio. Sed ſit.

PRAXIS.

Dominica 24. à Pentecoste.

Mittet Angelos suos, cum tuba & voce magna, Matth. 24.

A*Ccessus & Propositio.* Tuba suprema sonat, quis aures non erigat? Heu, nimis gravem letalemque somnum dormimus, si ad hanc vocem, non excitamur? Vox enim hæc, vox belli non pacis est. *Populi, populi in valle occisionis Ioel. 3. quia juxta est dies Occisionis, & pugnabit*, cum Deo, *orbis terrarum contra insensatos Sap.* 5. 21. Demus igitur aures, terrificæ tubæ; & quis usus illius non hoc bello futurus, consideremus.

Confirmatio, per Reflexionem ad usum Tubæ in bellis, applicatum Materiæ judicii Divini.

Quadruplex potissimum usus tubæ adhibetur in bellis. Datur enim Tubâ signum 1. Ad militem excitandum, & præparationem 2. Ad progressum. 3. Ad pugnam. 4. Ad triumphum de hostibus & vindictam. Ideo igitur in tremendo quoque Dei judicis bello, cum tuba audietur, hoc insonabit, Et.

Primò

Primò excitabit mortuos, & designabit præparationem. Audient enim illam mortui, inprimis per revelationem, & mox à resurrectione, auditu corporeo has aut similes voces frementem. *Surgite mortui, ad judicium.* O quot erunt, qui mallent audire. Perite. Annihilemini? Gravis, ac terrificus homini sopito, clamor repentinus accidit: qualis accidit, vocis illius horrendæ, hominibus tot centenis, atque millenis annis, soporatis? Heu miseros peccatores! cum viderint diffindi petras, aperiri montes, revolvi subitò immensa pondera; seque & suæ sortis, infelices ubique perdi, undique exturbari socios, nudos, squalidos, trementes, horenda visu monstra. Hæc erit præparatio eorum: cum è contra adventabit filius hominis, cum Majestate magna: sol & luna armabitur tenebris, stellæ cadent, virtutes cælorum commovebuntur, cœli ardebunt, terra tremet, mare mugiet. O *lacrymæ ubi estis?* Clamemus meritò cum Bernar. Ser. 27. *Fontes fluite super faciem meam. Deus meus quid faciam cum venerit judicium tuum, quid dicam peccatrix anima? Væ diei, in quo*

peccavi, utinam non luxisset sol super me!

Secundò. Dabit signum progressûs ad bellum. Iol. 3. *Erumpite & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini, ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.* Ierem. 4. 19. *Vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem populi. Contritio super contritionem vocata est.* Contritio dum suscitantur, contritio dum ascendere coguntur. Contritio, sed inutilis: Contritio, sed longè dispar à corde humiliato & contrito. Crescet interea sonus tubæ, & omnes, divina vi, compellentur ad vallem Iosaphat, Mediam inter Ierusalem & montes oliveti. Manlio, Capitolii defensi aspectus, in judicio ambitus, ut habet Liv. tantũ profuit: quód non nisi aversis à Capitolio judicum senibus damnari potuerit: Ierosolymæ & Calvariæ obtutus, spem veniæ peccatoribus eripiet. Profundiùs verba illa, à lictore ingeminata, Marium penetrâsse creduntur; quibus artem illi fabrilem exprobrans, ictui subdidit. *Hic est gladius, quem parâsti;* quàm ipse penetravit gladius: profundissimè ferient peccatores, conspecta salutis contemptæ instru-

ſtrumenta, quibus una erit vox. *Hi ſunt gladii, quos parâſti.* Tunc ut ait Hieron. *Lugubre mundus immugiet*, humanis vocibus, præ ingenti dolore ac timore deformatis: *Tribus ad tribum pectora ferient*, veſanâ deſperatione omnibus afflictis, ſua capita quoque mutuè collident, ut impleatur ſcriptura Pſalm. 109. *conquaſſabit capita in terra multorum.* Capita, O capita! quàm audacter elevamini, quàm miſerè conquaſſabimini! *Reges nudo pectore palpitabunt*; Huccine ſors tua Iuli recidit? huc tua Auguſte? ubi potentia, ubi regnum! Palpitabunt? Mundus eſt Mare, Reges ceti, nullum in hoc mari timentes, ſed tracti in littus, palpitabunt. Unde, *ſimile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mari.* Math. 13. *Adducetur ſtultus cum ſuis Plato diſcipulis, & Ariſtotelis argumenta nihil proderunt.* Si ſtultus Plato, ſi Ariſtoteles convictus! valeat Plato, valeat Ariſtoteles, dum integra ſit ſalus. Beatior eſt rudiſſimus è mundo, ſi nôrit ſervare decem Dei præcepta, quàm ſapientiſſimus è Philoſophis, ſi his neglectis, indaget ſubtiliſſimè, decem Ariſtotelica prædicamenta.

Tertiò urgebit bellum. Ad rem est ventum Ier. 5. 25. *Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ.* O spectaculum! Hinc homo, omni ope destitutus: inde Deus, et omnes creaturæ. *Ibunt directè emissiones fulgurum.* Sap. 5. *& tanquam à benè curvato arcu nubium, exterminabuntur, & ad certum locum insilient, & à petrosa ira plenæ mittentur grandines. Excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit Spiritus virtutis, & tanquam turbo venti dividet illos.* Hæc corporum oppugnatio: quæ animi! Surget enim verò contra hominem accusando, cœlum, terra, tempus, homines varii, ac potissimum conscientia Psalm. 94. *Arguam te & statuam contra faciem tuam.* Quid hoc monstri, quando tu homo stabis contra te! Tu & non tu, idem & non idem. Tu ad similitudinem Dei creatus, sum contra te ad similitudinem diaboli mutatum. Tu, ratione supra alias creaturas præditus: contra te ratione in malè factis destitutum. Tu, ad æternam felicitatem destinatus, contra te, miserè & sponte ab ea decidentem!

Sic statueris tu contra te. Tu infelicitatem supremam clare cognoscens: contra te, eam ante hac considerare nolentem. Tu extrem a mala tua pavens, contra te, ea effugere non valentem, Tu infelix & desperatus, contra te, salutis media contemnentem. Statueris tu contra te. Tu tremens, contra te audacem. Tu igneus, contra te impurum. Tu diaboli ludibrium, contra te superbum. Tu contemptus; contra te, primatus ambientem: statueris denique tu, contra te, pugnante intellectu, memoria, voluntate, & omnibus potentiis ac sensibus contra te. *Heu dies ille Domini Dei exercituum dies ultionis; ut sumat vindictam de inimicis: devorabit eos gladius, & satiabitur, & inebriabitur sanguine eorum.* Ier. 46. 10. quare & tuba.

Quartò resonabit, ad urgendam cædẽ hostium & vindictam de illis continuãdam. Isa. 1. 24. Propter hoc ait Dominus. *Heu consolabor super hostibus meis; & vindicabor de inimicis meis.* Nihil à judicis sententia restabit, nisi vindicta. Vindicta contemptæ Majestatis Divinæ, vindicta objectorum salutis mediorum, vindicta sangui-

nis Christi. Igitur Ezec. 21. *Et duplicetur gladius; & triplicetur gladius. Hic est gladius occisionis magnæ.* Cadent omnes impii interfecti, *sicut oves in inferno positi, ut ait,* Psal. 40. neque satis erit vindictæ, sed duplicabitur gladius, & ad infernum secuta mors, *depascet eos.* Unde & Ezech. 5. *Gladium nudabo post eos,* qui scilicet persequatur damnatos ad inferos: sed & rursus, triplicabitur gladius ac innumerè quoque multiplicabitur, toto æternarum pænarum pondere damnatis incumbente, ut continuò pereant, nunquam perituri, continua morte moriantur, nunquam morituri. *Hæc est mors secunda, in qua dolor non cesset ut cruciet: & natura non deficit, ut sentiat: inquit* D. August. de Civ. Dei. *Igni eris cibus; sanguis tuus erit in medio terræ, oblivioni traderis* ait Esech: 21. O vindictam tremendam! O hostes Dei infelicissimos! Ignis cibus, duo habet 1. Quæ in substantiam ignis vertitur 2. Quia ut sit cibus, non debet deficere ei materia, sic peccatores in ignem suppliciorũ versi, non tamen deficient, ut sint ignis, & simul sint materia æterna tormentorum, unde & addi-

additur, *sanguis tuus erit in medio terræ*, quia cùm innumeris temporibus arserint: stillabunt semper, recentem sanguinis succum: donec tot sæcula transeant, ut oblivioni æternæ tradantur: & Deus qui de illis salvandis, ab æterno cogitavit; nullam, de liberandis ex inferno, sit in æternùm cogitationem suscepturus. Apoc. 14. *Fumus eorum in sæcula sæculorum.* Fumus utique ex lignis surgit, quæ habent materiam non consumptam: imò humore abundantem. Tales erunt damnati, nec unquam esse desinent: hoc unum tubâ tremendâ, per totam æternitatem super illos insonante. *Fumus eorum in sæcula sæculorum.* Heu mortales! cum Cypri. lib. 2. ad Desi. inclamo: *Securitati & vitæ, dum licet providete. Nam tunc nec resistendi erit virtus, nec fugiendi facultas; nec pœnitentiæ locus, nec satisfactionis tempus*, teste D. Chrys. in Matth. Unde & Angelus juravit per Deum viventem, quia *tempus non erit ampliùs*, Apoc. 10. O non erit! ô vox omnia viscera conturbans! ô tuba! ad cujus sonitum anima liquescit; *Erit*, est omnium malorum solatium. *Non*

erit, est omnium malorum desperatissimum signaculum.

MODUS TERTIUS

ASsumptâ Evangelii aut Scripturæ sententiâ, juxta diversos, & ab Ecclesia receptos sensus explicatur. Est autem sensus scripturæ quadruplex. Literalis, sive historicus. Moralis, ex quo instructio morum formatur. Allegoricus, seu Mysticus, qui continet mysteria fidei. Anagogicus, qui refertur ad finem ultimum nostræ creationis, juxta illud:

Littera scripta docet: quid credas Allegoria
Moralis quid agas: quo tendas Anagogia.

Secundùm hos itaque omnes, aut aliquos sensus, tractata sententia, copiosam, tam inveniendi, quam agendi præbebit materiam. Ut si, Dominica 2. Epihaniæ, super illud, *Vinum non habent.* Agas 1. ad Litteram, de piissimis visceribus D. Virginis Mariæ: quæ, tam facilè, temporalibus quoque necessitatibus proximorum, movebatur. 2. Moraliter referas id, ad commendanda opera misericordiæ, 3. Allegoricè,

ricè, tractes sensum D. Cypriani Epist. 63. inquientis: *Quia apud Iudæos, defecerat gratia spiritualis, defecit & vinum.* 4. Anagogicè referas ad defectum internæ devotionis, pietatis, & rerum cœlestium considerationis: sine quibus, tanquam sine vino, vita nostra, insipidè agitur. Similiter, eodem die, ex occasione aquæ in vinum mutatæ, in sensu literali, ageres de potentia Dei super creaturas 2. Moraliter, mutat Deus aquam in vinum, cùm mutat tristitiam in lætitiam. 3. Allegoricè, mutat aquā in vinum, quando lacrymæ pœnitentiæ, abluunt peccata: fiuntque, ut ait Bernardus. *Vinum Angelorum.* 4. Anagogicè, mutat aquam in vinum, quando servos suos, pro solatiis terrenis omissis replet solatiis cœlestibus longè excellentioribus, & suavioribus. O felices! qui hoc vino gustato, cum Xaverio, inauditum sæculi hominibus verbum, ructant: *Satis est Domine, satis est!* Nulla interea lege adstringimur, ad hunc potius, quàm illumve sensum, priore loco proponendum.

PRAXIS
Dominica Quinquagesimæ.

Domine, ut videam, Marci 10.

ACcessus & propositio. Intentæ adeò Cæci preces, mereri videntur, ut qua necessitate, compulsus, eas constantissimè urserit, expendamus: quæ quidem necessitas, quia his verbis exprimitur, *Domine ut videam*, illis primùm perspectis, ad nos convertemur: & an non simili premamur necessitate videbimus: ut si ita res tulerit, D. Augustini disciplinæ animum demus, in Psal. 65. inquientis: *Confitere te cœcum, & illuminari mereberis.*

Confirmatio per Explicationem variorum scripturæ sensuum, propositæ sententiæ convenientium.

Sensus literalis. Non aliud lumen, à cœco tanta contentione petitum, quàm lumen naturale oculorum, ex textu Evangelii constat. Neque potest esse non laudabilis constantia, in tam magna angustia. Narrant quidam Pulcheriam Imperatricem, aviculam aluisse, ex cujus aspectu læto, aut tristi, inferre licuit, bonum aut adversum temperamentum valetudinis. Hujus proinde extinctæ oculo, Regina inscripsit: **Non gemma, sed vita**: Benè avi, melius

meliùs oculo id conveniat: *Non gemma, sed vita*: imò: *Et gemma, & vita.* Tobias cap. 5. nullum sibi evenire posse gaudium, quod lumen cœli non videret, clarè asseruit 1. Reg. 11. Naas Ammonites, maximi id supplicii & opprobrii genus duxit: si erueret dextrum oculum incolis Iabes Galaad: & Evangelica similitudo, ingens malum censuit: cum malè amictum, ad tenebras exteriores damnavit, Marc. 11. Quidni igitur, cœcus Evangelicus, lumen sibi donari, multùm peteret, plurimùm instaret? *Sed si desideravit ille lumen corporis, quantò plus lumen cordis desiderare debemus*, ait D. August. serm. 52. de tempore, quod ipsum, si quando inclamari debet his temporibus Quinquagesimæ, ingeminandum, iterumque ac iterum orandum: Domine, ut videam.

Sensus Moralis. Heu cœcitas! quàm levia & vana gaudia, quàm nimiùm amamus? *Nihil est aliud, pro præsentibus istis laborare*, inquit Chrys. hom. 67. *quàm flammam discerpere, quàm pugnis aëra cædere? Cur perforato dolio aquam ingeris? Ostende mihi hujus sæcularis studii finem.*

Tem-

Semper gaudium properat, nec poteſt ferre moras lætitia, dicit Cypr. lib. 2. Epiſt. 5. quod, etſi de mundano omni gaudio, dicendum ſit: potiſſimùm de Quinquageſimali. Alia clam ſe ſurripiunt; hoc palam ſuam inconſtantiam profeſſum: triduanũ ſolum eſt. *Domine, ut videam*, tam brevis gaudii vanitatem. *Iſte dies, qui lætus eſt hodie in iſta civitate, cras utiq; non erit: nec idem ipſi, cras hoc erunt: quod hodie ſunt*, pergit D. Auguſt. 70. in Ioan. *& tranſeunt omnia, & evolant omnia, & ſicut fumus vaneſcunt. & væ qui amat talia! Gaudium ipſorum eſt quaſi phræneticorum, Quomodo phræneticus gaudet in inſania, plerumq;, & ridet, ſic iſti.*

Senſus Allegoricus. Et utinam tantùm vana eſſent hæc gaudia! ſed his potiſſimùm diebus convenit, quod D. Bernard lib. 1. de Contem. cap. 2. requirit: *Quis*, inquiens, *diem totum, duxit in ſua delectatione jucundum: quin in aliqua parte, reatus conſcientiæ non turbaverit? Domine, ut videam* peccati gravitatem, poſt quod dicere non ſemel licet, quod Chryſoſt ſerm. 126. de decollatione Baptiſtæ edixit: *In*


arenam

arenam vertitur domus, mensa migrat in caveam, furore mutatur convivium. fit cibus cædes, vinum transit in sanguinem, finis natali imponitur in ortu. exhibetur occasus, intrat bestia, non puella, quærit amputare, non saltare, discurrit fera, non fœmina, spargit jubas per cervicem, non capillos. Expende singula, & in iis inclusa damna peccati: & exclamabis, *Domine, ut videam.*

Sensus Anagogicus. Sic, sic miseri perimus! & pericula nostra contemnimus, atque à beatissima æternitate facilè decidimus. Coram Galliæ Rege, virtutes, choreas agebant. De his, quid sibi placerent, interrogatus Urbanus VIII. ad Regem tunc legatus: *Bonus*, respondit, *chorus, sed periculosus.* Talia sunt lætantium hodiè gaudia, tales saltus, tales choreæ, tales chori. Nimiùm, ah nimiùm, periculosi! quanquã multis aliquantum videantur boni. Notæ prudentiæ, & ætatis venerandæ vir, condictum à Dæmone cum Deo ajebat, ut totius anni diebus Deo sacratis, tres dies Quinquagesimales suis usibus concederentur; durasseque id pacti, donec Societas

Iesu

Iesu in mundo compareret: quæ, excitatis, illis ipsis diebus, singularibus pietatis exercitiis, ac propositis indulgentiis, Diabolo suam portionem eriperet. At, quod laudi Societatis tribuitur, libenter aliis, ex communi genio, concessero. Illud verissimum est, planè hos dies, Deo, per homines eripi, & Dæmoni vendicari. Aliàs itur: hìc ruitur ad infernum. Placet etiam præcipitari à sociis familiaribus, vicinis, etiam ignotis. O si oculi nostri aperirentur! O si pericula salutis clarè paterent! pluribus nos profectò hostibus circumdatos videremus, quàm advertere Syri, percussi ab Elisæo cœcitate, 4. *Reg.* 6. & in mediam Samariam inducti. Domine ut videam! *& ut videamus bonitate electorum tuorum: ad lætandum in lætitia gentis tuæ,* Psal. 105,15.



MODUS QVARTUS

SEcundùm unum tantùm, ex prædictis sensum, sententia explicatur: sed ipse sensus geminatur, aut multiplicatur: vel moralem sensum, ad diversam circa mores instructionem, referendo: vel Allegoriam, ad

ad diversa fidei documenta, & sic de aliis. E. g. dicturus Dominicâ 4. post Epiphaniam, inquirere posses: Cur ascendente Iesu in naviculam, *motus sit permissus in mari*. Iulius Cæsar, nauclero inter fluctus trepido *Ne*, inquit, *timeas*, *Cæsaris fortunam vehis*. Nec navi, in qua Christus, meliùs conveniebat, *& ecce motus factus est in mari*, Matth. 8. Dat causam Allegoricam D. Hier. in gloss. Strab. *Qui magna fecit in terra, transit ad mare, ut & ibi faciat, & Dominus maris ac terræ appareat*. Dari etiam altera posset; factum id, ut doceret, nec in Ecclesiæ navi, nec in rebus publicis, nec in homine signum esse absentiæ divinæ: si fluctuare & turbari permittatur. Iud. 6. ait Angelus ad Gedeon: *Dominus tecum virorum fortissime. Dixitq; ei Gedeon: Obsecro mi Domine, si Dominus est nobiscum, cur apprehenderunt nos hæc mala omnia?* Cui Angelus propositum persequens: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel.* Ecce turbatio, & tamen Dominus præsens. Plures sensus facilè quærenti occurrent.

PRAXIS

Domi.

Dominica secunda Adventus.

Cæci vident, claudi ambulant, Matth. 4.

A*Ccessus & Propositio.* Magnæ Ioannis legationi grauissima Christi data est responsio, idq; rerum, & miraculorum. *Euntes*, inquit, *dicite Ioanni, cœci vident, claudi ambulant.* At non hoc videtur quæsitum, verum illud: *Tu es qui venturus es?* Latet hîc, procul dubio, mysterium, quod jam expendemus.

Confirmatio per sensum geminum Moralem.

Sensus primus Moralis. Nullo judicio hominem melius agnoveris, quàm ex operibus. Ne crede titulis, ne crede nominibus: larvæ sunt, umbræ sunt, & præter verba, nihil sæpe solidi habent. Tertull. cap. 4. de exhort. Casti: tribuit operibus *Prophetiæ efficaciam.* Prophetia duo potissimum habet: alterum, quod occulta enunciet: alterum, quod sine falsitate enunciet. Tales sunt Prophetiæ operum. Celent se lupi sub pellibus ovium; ignobiles animæ sub serico Patritiorum; dejectæ mentes sub purpura Principum, Opera interroga,

& pandent dolos, atque rem sincerè edisserent. D. Hieronymo somnianti, persona gravis flagello armata apparuisse perhibetur, ac inde quæsivisse quis esset? Cum ille affirmâsset: se Christianum esse: Ciceronianus magis es, inquit, quàm Christianus (quod ætate florida lectioni ejus majori diligentia incumberet) atque ideò tot plagis tamque gravibus affecisse, ut evigilans magno sibi cum sensu à Cicerone, ad stylum & lectionem, Christiano digniorem, se referret. O quot sunt, qui si nunc interrogentur: Tu quis es? respondebunt, Christiani sumus. At interroga opera eorum, & audies dici: Hic totus Bacchus est; ille Epicurus; ille Machiavelus. De his D. Augustin: serm 50. *Multi postes habent signatos* (scilicet cruce) *& intus non manet habitator. Facile habent in fronte signum Christi, sed non recipiunt in corde verbum Christi.* Unde & eosdem alloquens cap. 6. In Ioan. *Non audio quid sonet, sed video quid vivat. Opera loquuntur, & verba requirimus? Quis malus, non bene vult loqui?* Opera, hominem quis sit, optimè indicant: atque ideò operibus

ribus Christus Ioanni respondet, ut jam de ingratis Iudæis, Ioannes inferret, quod deinde ipse Servator asseruit Ioan. 15, 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Secundus Moralis sensus. Neque id solùm nos Dominus docere voluit, verum ingens & excellentissimum persuadendi artificium, Concionatoribus, & Magistris, exemplo tradidit: quod est, doctrinam probare factis, & præcepta firmare vitâ, scilicet, *verba habent suadelam*, inquit Clem. Alexandr. *exempla violentiam, nec tam videntur suadere, quàm cogere*, 2. Stromat. 11. & Ioan. 5. clamat Servator: *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me*, & Ioan. 10. *Operibus credite*, & ejusdem 14. *propter opera ipsa credite. Magnam igitur injuriam facit magistro, qui se discipulum fatetur ejus, cujus non sequitur institutum*, ait Chrysost. serm. 94. *qui verbis prædicat, & opera non curat, qui una manu ædificat, & altera subruit. Quid adeò simile?* loquitur ironicè Tertull. in Apolog. c. 46 *Philosophus, & Christianus? Græciæ discipulus, & cœli? famæ*

nego-

negotiator, & vitæ? verborum & factorũ operator? rerum operator, & destructor veritatis? interpolator & integrator, furator ejus & custos? Multi tamen his similes evadunt, qui non satis meminerunt, *vivam eruditionem ad mortuam adjungi oportere.* Isid. lib. 1. epist. 396.

MODUS QVINTUS.

SEntentiæ assumptæ diversæ lectiones adferuntur. V. g. Vulgata, Septuaginta, Hæbrea, & secundùm singularum sensum, res assumpta probatur. Sic illud Sapient. cap. 4 *Consummatus in brevi, complevit tempora multa.* Commodissimè attribui potest B. Aloysio Gonzaga Societatis IESU. Nam alii vertunt: *Consecratus in brevi;* & hoc convenit vitæ ejus in pueritia innocentissimæ. Alii, *Immolatus in brevi*, & hoc servit vitæ religiosæ, per quàm se Deo immolavit. Alii, *Consummatus in brevi*, & hoc refertur ad perfectionem ejus in religiosa disciplina. Alii, *Gloria & honore coronatus in brevi*: & hoc complectitur sanctitatis ejus publica variaque testi-

testimonia. Mihi sit pro more ex Evangelio.

PRAXIS

In festo Annuntiationis B. V. M.

Ave gratia plena, Luc. 2.

ACcessus & Propositio. Salutare exemplo Divi Archangeli B V. Mariam, an ei gratulari hodie debeam, meritò hærerem? nisi dubium affectum sacra pagina componeret. Hæc scilicet, cùm ejusdem spiritus instinctu, *Ave & gaude*, Virgini Deiparæ, juxta vulgatam & Græcam versionem dederat; Avere hodie per nos, & Gaudere beatissimam Virginem velle videtur: id est, ut humiliter eam exemplo cœlitum salutemus, & sincerè inenarrabilem novi gaudii congratulemur materiam. Agamus pro posse utrumque.

Confirmatio ex sensu Vulgato, *Aue*, & ex Græco, *Gaude.*

Narrat Burgsesius ex D. Anselmo, beatissimum hunc, & capacissimum hymnum, *Ave gratia plena*, continuò à cœlestibus Hierarchiis, secundùm illud, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Seraphicum decantari. Innumeris insuper miraculis constat, gratissimè à D. Virgine sæpiùs acceptatum.

Uti-

Utinam his, aut illis vocibus, nostra salutatione adjungamur: interea dum dignas non possumus, quas valemus, delaturi laudes, humiliter ante pedes tuos adstrati. Angelicum tibi ô Virgo inchoamus

Ave.

Ave 1. quia per tuum *Ave* nos liberas *à væ*, quo tot sæculis mundus premebatur. Ferales literæ, diversis diversæ fuerunt: istæ, omnes malè, mulctaverant, cùm mater Eva, prius natos perimeret, quàm pareret. Mutatur jam Evæ nomen per Aue, & væ inveteratum aufertur, totique mundo libertas desiderata restituitur. Floro Autore, cùm Romani apud Gallos urbem & obsessum Capitolium redimerent; nec pondus auri libram æquaret, ingeminatum est à victoribus, væ victis, nulla vox hactenus in orbe frequentior, atque gravior, cum datis hosti per peccatum manibus pretium redemptionis, apud nos non inveniremus, quàm *væ victis?* Cedit tamen hodie Væ Angelico Ave, cedit Mariæ salutatæ. Igitur ô Virgo Ave!

Ave primò, AVE & iterùm, *quia gratia plena Dominus tecum.* Quantum enim

cum Bernardo conjectare licet: ideo gratia plena diceris, & mox Spiritus Sanctus superventurus nuntiatur, ut abundes, & superabundes, ac de plenitudine tua, secundùm Filium tuum participemus omnes. 3. Regum 18. Cùm clausum triennio cœlum, reserandum esset, misit Helias puerũ suum versus mare: quo, cum secundò reversus fuisset: *Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari.* Tum verò Elias: *Iunge currum tuum*, dixit ad Achab, *& descende, ne occupet te pluvia.* Pluit denique atque illa nubes arentem terram felicissimè recreavit. Nonne clauso propter peccata cœlo, totus orbis, non tam triennio, sed multis sæculis aruerat? Nonne, diu non exauditus, clamabat? *Rorate cœli de super*, Esa: 45. Ecce hodie nubecula parva; quasi vestigiũ hominis apparuit. Imber igitur; qui recreet universam terram sperandus. Sed quæ hæc nubes? quod quasi vestigium hominis? Nubem illam intellige; de qua Lucæ, 2. *Spiritus Sanctus obumbrabit tibi*, & vestigium quasi hominis agnosce: cùm audis: *Ecce concipies, & paries filium.* Vestigium

dico,

dico; quod nunc primum; figit in utero Virginis; DEUS HOMO, & inde quasi homo: non quod nasciturus de MARIA Christus; homo verus non sit: sed quod verus Deus & homo; inexplicabili modo in Virgine concipiatur. Feliciter interea res nostra agitur. Rorant exauditi cœli; & nubes pluunt justum; per quem omnes irrigamur, recreamurq; *Ave Maria, gratia plena* tantorum bonorum felix causa.

Ave & Gaude. Ecquis omnes ut salutandi, ita gaudendi enumeret rationes?

GAVDE 1. Quia hodie Mater Dei facta es. Hoc privilegium consortium non habet nominis, neque dignitatis S. Th. 1. part. q. 25. artic. 6. ad 4. *Beata virgo, ex hoc, quod est Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est DEVS: ut nihil ex hac parte possit melius fieri ea, sicut non potest aliquid melius fieri DEO.*

GAVDE 2. Quia Mater facta, Virgo permansisti. Tanti hoc erat, ut ipsa quoque denuntiatam obstupescens conceptionem, interrogaret. *Quomodo fiet istud? Qualis Pater in æternitate, talis Mater*

in tempore, inquit Auguſtinus in Nomine Mariano. Pater ſine Matre, Mater ſine Patre: Pater virgo, Virgo Mater. *Immò Pater, prima Virgo*, ut ſancti Patres Græci loquuntur, & Mater Virgo prima in terris: cum illa prima voverit virginitatem, non exemplo humano, ſed magiſterio Spiritûs Sancti edocta. Hinc Sponſus Cantic. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica inter filias Adæ.* Nam ſicut lilium ex eadem terra cum ſpinis oritur, nec tamen ſpinarum vitium trahit: ita B. Virgo filium verè concipit & parit: nec tamen corruptionis & partus vitia ſentit. Sicut lilium à contrariis magis commendatur: ita beatæ Virginis maternitatem cum virginitate conjunctam, matres diſſimiles, magis commendant. Sicut lilii pulchritudo ſpinis præcellit: ita D. Virginis maternitas aliis comparata, longè illas odore ſanctitatis, colore caſtitatis, decore integritatis ſuperat.

GAVDE 3. Quia Mater DEI facta omnium creaturarum Domina es effecta, & ut talis ab Angelicis choris hodie conſalutata, ad Hæb. 6. *Et cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: &*

adorent

adorent eum omnes Angeli ejus. Factum est omninò, ut hodie Verbum caro, Deus homo; in utero virginis, à cœlestibus spiritibus adoraretur. An etiam ipsa beatissima Virgo? *Quis Deum non honoret in Virgine? Qui Virginem Dei voluit esse genitricem, reparatricem sæculi, lucem mundi.* Ildefon. in Nativ. B. V. Si scabellum pedum Dei adorandum, quid thalamus & sacratissimum tabernaculum? Honor matris, gloria Filii. Quæ admiratio inde credenda Angelos incessisse? cùm illum in utero matris humilem adorarent: cujus contemptor Apostata, è cœli alto, in inferos detrusus? quæ deinde, post admirationem, veneratio & tanti nati, & tantæ matris? Verè non minora in exigua Virginis cella, quàm olim in cœlo dum primum incarnatio revelaretur, exacta mysteria: sed nec minor Angelorum lætitia, neque inferior cultus. Gaude igitur MARIA Virgo, de tanta tui Filii & tua dignitate, & duorum gaudiorum merito, nostros mœrores leva. *Nunquid enim, quia ita Deificata, nostræ humilitatis oblita es? Nequaquam Domina. Non convenit tantæ*
 mise-

misericordiæ, tantam miseriam oblivisci, quia, etsi subtrahit gloria, revocat natura: neq; ita es impassibilis, ut sis incompassibilis. Petr. Damian. serm. de Nativ. beatissimæ Virginis.



MODUS SEXTUS

SEntentia Evangelii in sua membra distrahitur, quæ membra singula seorsum explicata totam conficiunt Orationem. E. g. Dom. IV. Adventus supra illa verba Lucæ 3. *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Primò ageres de viis Domini parandis, quæ juxta D. Bernard. debent esse *pulchræ, rectæ, plenæ, planæ:* tum de semitis, per quas intelligi possunt arctiora consilia, inspirationes, lumina: quemadmodū & viæ Diaboli sunt apertæ, peccata: semitæ autem sunt majori fuco boni illitæ: ut usuræ palliatæ, simonia, jus ad res alienas prætensum, &c. sit interea.

PRAXIS

Dominica 6. à Pentecoste.

Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, Marc. 8.

Ac-

ACcessus & Propositio. Totum hodiernum Evangelium singularem amantissimi IESU, spirat pietatem, quàm potissimum produnt assumpta verba: *Misereor super turbam*, &c. illis proinde devotè expendendis insistamus.

Confirmatio per membra sentētiæ seorsim expensa.

Primum membrum: *Misereor super turbam*, inquit Iesus. O dulce cor! Quis hujus tantæ miserationis dulcedinem satis intelligat? quàm exprimens Græcus textus utitur voce *splagnizomæ*, quæ significat: *Ex intimis visceribus compatior*. Narrat B. Pontifex, Clemens Romanus, Petrum Apostolum eo lacrymarum abundantiâ processisse, ut genæ copiâ defluentium guttarum exederentur, perpetuis earum vestigiis continuò in facie durantibus. Causam verò rei non solùm pœnitentiam de admissa negatione assignat: verùm etiam quod D. Apostolus non posset reminisci, pietatis & suavitatis Domini, qua cum suis agebat sine intima commotione. Nam ut necessitatibus etiam minimis maxima charitate provideret: dormientes quoque ac

per

per prata de via ſtratos, ipſe obibat: atque ſi incommodè decumberent, caput ſublevabat: componebat feſſa membra: aliaque id genus officia, mira ſuavitate præſtabat. Particula hujus pietatis hodierno exemplo proponitur: eſt autem ingentis flammæ documentum, quo miſericordiſſima ejus viſcera in nos feruntur. Paucis hinc annis abiit è vita Pater Nicolaus Lancicius, Societatis noſtræ, vir famâ virtutum per multas provincias clarus. Hic ſuis ſolitus dicere: Multos ſevero nimium de Chriſto judicio, atque inde ſecurâ diffidentiâ, multa cœli munera ſe arcere. Non ergo, inquiebat, eſt Chriſtus, Tiberius oculis ſcintillans, non Marius feriens vultu, ſed parens benigniſſimus noſtrique amantiſſimus: ac non niſi coactus, aliam quàm Patris perſonam ſumit. In revelatione D. Brigittæ legitur, Chriſtum Dominum eam vultu ipſo dulcedinem ſpeciei prætuliſſe, quod homines triſtes & afflicti dum ſolatia adverſis quærerent, ſoliti ſint dicere *Eamus, & videamus Mariæ filium*: atque inde ſolo ejus aſpectu recreari credamus: & afflicti, plenâ ſpe ad eum confugiamus: Atterens peccata

ne

ne ſimus Caini, ſed è contra dicamus: Major eſt miſericordia tua quàm peccata mea. Nicolaus Radivilius Dux in *Nieſviez* & *Ołyka*, Palatinus Vilnenſis, ſepulchrale Epitaphion, vivus poni curavit, in quo ipſi, de marmore rudi, & in habitu peregrino ſculpto, ſubſcriptum. *Peccantem me quotidie & non me pœnitentem timor mortis conturbat me.* Tum ab ore procedunt verba ex Iob. cap. 13. deſumpta. *Etiamſi me occideris, in te ſperabo.* Rectè judicatum. Difficile eſt, quin nos peccata non turbent, ſed ſi mors ſubeunda in ſinu Patris ſubeunda, aut in collo Matris, in quo *manus appendit, qui ſe Deo plenè commiſit*, inquit Anſelm: quod eſt dicere: Etiamſi me occideris, in te ſperabo.

2. Membrum ſententiæ *Ecce triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent.* Nulla tempora nullaque opera apud Deũ certiùs notantur, quàm ſuſtinentiæ, tentationum, laborum, tribulationum, mortificationum, Daniel 10. V. 12. ad Prophetam Angelus. *Ex die primo quo poſuiſti cor tuum, ad intelligendum; ut te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba*

tua.

tua. Apo: cap. 22. *Scio opera tua, & laborem tuum, & patientiam tuam* Psal. 138. *Domine probâsti me, & cognovisti me:* quasi non nosset, antequam probâsset. Matth. 25. *moram faciente Sponso,* defecerunt lampades Virginum: quibus reparatis, audire nihilominus coactæ *nescio vos.* Quid ita? nunquid error emendatus non est? aut non instanter petunt, ac pulsant? Non vult eas nosse, quæ tempore tentationis (hoc est, moram, faciente Sponso) defecerunt: atq; horâ tribulationis, inter sponsas non sunt notatæ; Cocles Horatius vulnere ab hostibus suscepto claudicans dicere auditus. *Quoties passum figo, triumphos meos numero.* Quam feliciùs eosdem figit, vir pro Deo sustinens? quàm meliùs ejus triumphi, à cœlo notantur? expertus id, devotus senio de quo VV. PP. Erat illi fons aquæ, à cella pluribus stadijs remotus: ad quem aliquoties in diem descendere molestum visum. Cogitare igitur de cella fonti admouenda: atq; sub ea ipsa cogitatione, morosius ad fontem progredi: cum retrospiciens, vidit Angelum, passus suos numerantem; monitusque est ne porro

à labo-

à labore ſuſcepto deſineret ſinguli enim, inquiebat Angelus tuæ patientiæ & mortificationis gradus, ad præmium cœlo inſcribuntur, Ioan. 16. quemadmodum & locis alijs; tempus Paſſionis ſuæ, horam ſuam, Chriſtus appellavit. Si hora patiendi, hora Chriſti eſt: hora quoq; Chriſtiani eadem cenſenda: neque id rurſus, ideo ſolū ut membra capiti comparantur: ſed etiam ideo: quia cœlis; ut illi debita, aſſeritur. Concludat Tertul. lib. de Patien. aſſerens: *Patientiam miſericordiæ Matrem, & Deum ejus debitorem*, Unde ſubdit. *Si injuriam penes eum depoſueris. Vltor eſt: ſi damnum, reſtitutor eſt: ſi dolorem, medicus eſt: ſi mortem reſuſcitator eſt. Quantum Patientiæ licet, ut Deum habeat Debitorem?*

MODUS SEPTIMUS

SIngula verba ſententiæ, ſigillatim expendentur, & ad inſtructionem ſalutarem Auditorum referuntur. Sic B. G. die tertia Paſchatis, expendi poſſent illa verba Lucæ 24. *Stetit IESVS in medio Diſcipulorum*: Stetit ſcilicet, ut ſe ſurrexiſſe è ſepulchro demonſtraret: ſtetit, ut morem

Divi-

Divinum, quo afflictis adstare solet, clementer probaret: stetit verò in medio, ne alicui Apostolorum particulariùs se admovisset, non communem fructum resurrectionis, quispiam metueret. Si cor, *in medio* hominis constitutum, hominem animat. Sic sol, *in medio cœli*, omnibus lucet. Stetit deniq; in medio discipulorum, ut in magisterio, faceret nos discipulos, & doceret, medium semper tenendum, scilicet, *in medio virtus. Nec nil, nec nimium: medium tenuere Beati. Tene medium, ait* Bernard. *Si non vis perdere modum, in te consiste. Locus medius, tutus est. Medium, sedes modi, & modus virtus.* Nec Angeli sumus, nec bestiæ, nec nimium sapiamus, nec jumentis per vitia æquemur, in nobis sistamus.

PRAXIS

Feria II. à Pentecoste:

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret Ioan. 3.

A*Ccessus & propositio.* Prodigiosa hæc prorsus est dilectio, cujus rationem nosse, ut maximè interest: ita eam, verbis ipsis inclusam, deprehendere mihi videor.

Singula

Singula igitur attentè expendamus.

Confirmatio, per Verba ſententiæ expenſa.

Primum Verbum, *Deus*. An ergo fortaſſis Deus quia Deus eſt & Rex princepsque ſummus hoc egit? ut ij quos ſaluaret, ſibi famularentur, ſe laudarent. Principes enim terræ, quo majores ſunt, majori egent famulatu. O miſeram hominum egeſtatem, quorum nec potentia cogitari poteſt, quin occurrat inopia. Iob. 38. *Accinge lumbos ſicut vir* ait Dominus, *interrogabo te & reſponde mihi? ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ?* Nuſquam dubio procul, & nihil eramus. *Deus* autem *noſter, hoc erat antequam creati eſſemus*, ait Cyril: *quod etiam nunc eſt, & nihil ei attulimus*. Pſal. 114. *Omnia quæcunq; voluit fecit*. ſuper quæ verba D. Aug: *Cauſa omnium quâ fecit, voluntas ejus eſt. Facis tu domum, quam ſi nolles facere, ſine habitatione maneres: neceſſitas te cogit facere, non libera voluntas. Facis veſtem, quia ſi non faceres, nudus ambulares: ad faciendam veſtem neceſſitate duceris, non voluntate. Deus omnia bonitate fecit; & nullo*

quod fecit, eguit; Declarâsti justitiam tuã inquit Doctissimus Leg. lib. 1. de perfection: Divinis, *contra peccatum, quando tot millia Angelorum propter unum peccatum è cœlo in tartarum deturbâsti: & æternis supplicijs subjecisti, nulla spe veniæ relictâ. Non tibi cordi fuit, quod illi essent tanto numero, tantâ naturæ excellentiâ, & pulchritudine, tanto ingenio, ac rerum notitiâ præditi: nec curâsti omnem laudem, benedictionem, gratitudinem, honorem, & gloriam ab illis tibi in omnem æternitatē proventuram: si illis hanc culpam condonâsses.* Abi miser homuncio, & quemadmodum tui indigus esse non potuerit, qui Angelis non eguit, conclude: ac cum Psal. exclama Psal. 15. *Bonorum meorum non eges:* atq; cum August. solil. 10. *Laus tua tu es, beatitudo tu es, felicitas tu es, Majestas tu es,* Divitiæ es.

Secundum Verbum, *Mundum*. Ejus ergo aliqua dignitas, aliqua pulchritudo, ac eminentia spectari poterat quæ Deum Dominum ad tantum opus permoveret? Sed *si cœli non sunt mundi, in conspectu ejus*, Iob. 15. quàm immundus sit necesse mun-

mundus, terra, limus, lutum. De Sodomitica Regione. ait: Oroſ. lib. 1. cap. 5. *Apparet forma Regionis, ſed invenitur Regio cineris.* Talis omnino mundus eſt, præſertim in oculis Dei, unde & Iob. cap. 31. *Memoria veſtra comparabitur cineri:* Hebræi legunt *memoriæ veſtræ, ſermones vel parabolæ cineris.* Quid hîc dignum Deo, quid par ejus dilectioni? Victor Antiochenus explanans illud Marc. 2. quod intraverit Dominus domum Zachæi ſubdit. *In qua præter unam Patris Familias pœnitentiam, nihil prorſus boni reperit* Quàm longè aliter decerneremus, ſi illa domus nobis ſpectanda proponeretur: domus utiq; hominis opulentiſſimi? Alius laqueata palatia, aurea alius periſtromata, marmoreos alius laudaret parietes. Chriſtus præter unam pœnitentiam, nihil boni comperit. Pari ratione fallimur, dum mundi honores ſplendoremq́; ſuſpicimus, qui coram Deo nulli ſunt: unde, & qui maximi à nobis habentur, nimirum Regum & Principum: Deo Iſa. 14. Stirps inutilis, pollutus & obuolutus vocantur, & 3. Reg. 14. Fimus, & Pſal. 82. Ier. 9. 1. Machab. 2. Stercus

 terræ,

terræ, unde & Paulus divino judicio suum confirmans, *omnia arbitratus ut stercora* ad Philip. 3.

Tertium Verbum. *Vnigenitum filium suum.* Hoc quidem certè non solùm non videtur suggerere causam dandi filij, sed tollere. Quis enim filium? quis filium unigenitum? quis filium unigenitum Dei, pro mundo speret tradi? Hinc Apostolꝰ 10. ad Corinth. 1. *Christum crucifixum Iudæis* dicit, *scandalum, gentibus stultitiam.* Habac. cap. 3. *Domine*, inquit, *audivi auditionem tuam, & timui. Domine opus manuum tuarum, in medio annorum vivifica illud.* Auditio, ad quam Propheta expavit, est præceptum mortis Christi, & ideo opus manuum ejus, in cruce pro nobis expansurum. Quantum autem, & quale sit, tunc capiemus: cum in medio annorum, vivificabit illud, id est, inter tempus & æternitatem: quando venturo ad judicandum Domino, apparebit signum filij hominis, & plangent omnes tribus terræ: flentibus malis; præ horrore conspecti signi: & bonis; præ gaudio, admirabiliter dispositæ redemptionis suæ. Nihil igitur, hoc quoq; verbo

verbo ſuggeritur, quod ſit cauſa: cur Deus *ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum daret pro illo.*

Quartum Verbum *Dilexit*. Hoc enim verò reſtat: & hoc unicum, eſt cauſa tam prodigioſæ charitatis. Ne quæras ampliùs, Cur Deus tradiderit Filium unigenitum pro mundo? Ratio tota eſt. *Dilexit*. Verè Dyoni cap. 4. de Divin. Nomin. *DEVS ipſe ſui ipſius, & ſibi ipſi, provocator & motor eſt. Ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminariū miſerendi*. Bern: Serm: 5. in Nati. Id in ſubjecta redemptionis cauſa ſignificaturus apud Ezech. cap. 16. *Tranſiens autem*, inquit, *per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo, & dixi tibi, cum eſſes in ſangvine tuo, vive.* Quid hîc cauſæ amoris? niſi quia dilexit: & quidem volutatos in ſanguine noſtro, cùm ſcilicet ejus inimici eſſemus. *Non enim*, pergit explicans Auguſt. *eum de cœlo merita noſtra, ſed peccata traxerunt.* Quare per Iſai. 27. minatur. *In menſura, contra menſuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam*: nimirum, in menſura miſericordiæ Dei, oppoſita impietati noſtræ, ut proin-

de toto corde clamandum sit: *Domine non pereat in malitia mea, quod operata est bonitas tua, non pereat in miseria mea, quod operata est misericordia tua*: Cap. 11. Solil.

MODUS OCTAVUS.

Est Allegoricus: Allegoriâ, Rhetoricè sumptâ, non autem Theologicè, de qua actum est modo tertio. Est autem Allegoria Rhetoricè sumpta, quando res sub similitudine tractantur: non rem rei assimilando: sed posteaquam similitudinem convenientem assumpsimus: ita de similitudine assumpta agendo, ut facilè Auditor intelligat, quid de re, sub similitudine comprehensa, dicere velimus. E. G. ad Verba Marci 16. quibus significantur, mulieres ad sepulchrum Christi venisse *Orto jam sole*, agere posses de Christi Resurrectione sub similitudine solis Orientis, explicando, quemadmodum solis ortus omnibus gratus ac salutaris contingat, obscura illustret, abscondita pandat, mundũ serenet, radiorum claritate facile se ubique insinuet: quæ omnia, & singula Christi

Resurgentis attributis, conveniunt: Similiter si ad illud Evangelij Matth. 9. *Non est opus valentibus medicus*, commendares pœnitentiam, sub ratione medicinæ, non difficilis, certæ, summæ, necessariæ, &c. ita de medicina loquendo, ut facilè intelligere posset Auditor, te de pœnitentia loqui.

Sunt autem nonnulla, maximè à Tyronibus in hoc genere dicendi vitanda. 1. ne Allegoriæ, coram Auditore inerudito, & ex plebe coacto, venditentur. A tali enim hominum grege, non intelliguntur: quod si non intelliguntur, nullum fructum faciunt. 2. Ne extortæ, leves, audaces, similitudines assumantur, ut si dicas, monstrabo solem, gladio succinctum: id est, Christum prædicantem; ineptum ac invitum est. Quamvis enim Christus D. *sol* in scriptura appelletur, & verbum ejus, *Gladius*; solem tamen accingere gladio, nisi illi humeros, lumbos, ac manus attribuas, ineptum est. Rursus dicere: Agam cum Christo jure, ante Tribunal Patris, quod nos contra promissa, sæpius non exaudiat, leve, audax, deniq; insolens est. 3. Ne

Allegoria assumpta facile deseratur, ne ab incendio inchòës, & naufragio concludas. Unde non solùm cogitandum, quid de re dici possit: sed insuper, quid de re, sub similitudine assumpta dici debeat: ut si de Christo sub similitudine solis agas, non solùm illa erunt adferenda, quæ Christo conveniunt, sed quæ Christo ut soli conveniunt. Memini quempiam concionatorum die SS. Philippi & Iacobi, hanc propositionem orationi præfixisse. Comperi duos peregrinos ad nostram civitatem venire. Ibo obviam, & quid novorum ferant, requiram. Ex hac propositione, sequi oportebat, ut tractarentur laudes SS. Apostolorum, sub similitudine peregrinorum: sed ille orator multa de Apostolis, nihil de peregrinis, atque de itu obviam locutus, rem conclusit. Hinc non nemo ad alium. Quomodo contigit, ut hic orator peregrinos præteriret? Retorsit alter: nil mirum esse. Aliâ enim portâ peregrini urbem ingressi, aliâ concionator egressus. Ita plurimis evenit, hunc modum incautè tractantibus, cui errori ut faciliùs occurratur, primùm puncta in quibus similitudo

cum

cum re convenit, tyro colligat: tum, singula seorsim tractet, roboret, amplificet: Interseri tamen possunt, & debent, verba rem clarè explicantia, ne Allegoria obscura evadat.

PRAXIS.

Dominica quinta post Epiphaniam.

Sinite utraque crescere ad messem. Matt.13.

A*Ccessus & Propositio.* Quis Paterfamilias, quis ager, qui messores, quid messis, explicuit ipsemet, domum à concione veniens, saluator & dixit: *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis,* v. 37. *Ager autem est mundus, bonum semen, hi sunt filij Regni. Zizania autem filij sunt nequam. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. Messis verò consummatio sæculi est.* Ad hanc messem omnes nutrimur, atque adolescimus. Messis sæculi, consummatio sæculi est; & Messis nostra, consummatio nostra in sæculo est. Eia, autumnum nobis faciamus, & messem humanam tantisper contemplemur, ut ejus spectaculo, sortis nostræ admoneamur.

Confirmatio debet constare descriptione & explicatione convenientium messi

proprietatum: quæ pariter morti hominis conveniunt.

Prima Proprietas messis & mortis. Si qua in re obliviosi homines sumus, ea est conditionis humanæ & fragilitatis oblivio. Nati mortales, immortales nos fingimus: neque id ideo, ut ad immortales curas, animo extēdamur: verũ ut à mortalitatis cogitationibus salutaribus, memoriam avocemus. O vanas spes, atque sæpè damnosas, semper falsas! vireat herba vere, maturescat æstate; successu autumni succedet messis. *Metendæ sunt fruges* ait Euripid: *sic jubet necessitas*. Necessitas, quæ libertatem tollit, leges non admittit, omnibus imperat, omnia vincit. Naturam rebus, ut dare, ita tollere non possumus. Naturam porrò rebus auferat necesse: qui neget naturæ autumnum, autumno messem Apoc. 14. v. 14. *Et vidi, & ecce nubes candida, & super nubem candidam sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius Angelus exivit de templo, clamans voce magnâ, ad sedentem super nubem: Mitte falcem, & mete, quia venit hora,*

ut

ut metatur. Vide Messorem. Filius hominis est: qui Ioel. 3. edicit: *Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini: ubi occumbere facit Dominus robustos tuos.* Additque *Mittite falces, quia maturuit messis.* Nemo hîc excipitur, omnes adesse jubentur, omnes falcibus subjiciuntur: unde & coronatus apparet, quia omnium victor, omnium succisor.

Secunda Proprietas. Nullæ fruges, à messis debito eximuntur, nulli homines, à debito mortis. Dum spica fit, falci paratur. Imo nobiles, adultæque spicæ, citius messorem provocant, quàm viles: quanquam dum messis urget, neutris parcitur. Lex olim terræ sanctæ fuit; Levit. 23. ut primitiæ messis, Deo sacrificarentur: lex universæ terræ est, ut omnes fruges metantur, Isa. 17. *Et erit in die illa, attenuabitur gloria Iacob, & pinguedo carnis ejus marcescet, & erit sicut congregans in messe, quod restiterit, & brachium ejus spicas leget: & erit, sicut quærens spicas in vale Raphaim.* Ecce quâ diligentiâ DEUS spicas colliget, ne speret aliqua, se posse manus ejus evadere.

Sileat

Sileat Raphaim, sileant gigantes, robusti, potentes, sileant & medici, (utrumque enim Raphaim interpretatur) vetus hic illud verissimum. *Contra vim mortis, non est medicamen in hortis*, contra falcem non est herba, contra Deum, non est homo. *Statutum est*, ad Hebræos nono *omnibus hominibus semel mori*. Dum herbæ parcitur, indulgentia latius non extenditur, nisi ad messem, O Christiani 4. Esdræ 4. 32. *Quando secatæ fuerint spicæ, quarum non est numerus, quam magnam arcam, incipient facere!* Quis ad hoc spectaculum non ploret Xerxes? quis ad hanc sortem suam, non ingemiscat homo?

Tertia *Proprietas*. Sed Quomodo, & quando hæc? quæsivit ibidem Esdras. *Quare modici, & mali anni nostri?* responsum datum. *Ne festines, tu super altissimum*, ac rursus: *Quando impletus fuerit numerus seminum in vobis, quoniam in statera ponderavit sæculum, & mensurâ mensuravit tempora, & numero numeravit tempora.* Ut autumnus, ita messis certa est: sed nec autumni, nec messis, nobis notum tempus. Fit enim ut pro coeli benignitate, aut severi-

veritate; messis appropiet, aut tardet: ac insuper multæ fruges, casu vel necessitate, insperatè atque inæquabiliter demetantur. Esa: 16. 9. *super hoc plorabo, in fletu jaser, vineam sabama. Inebriabo te lachrymâ meâ, Hesebon & Eleale, quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam, vox calcantium irruit.* Quod idem plorans Ieremias, dicit, quòd prædones irruarint insperatissimi, hospites pariter ingratissimi. Ferendus tamen quicunque casus, quæcunque manus, atque ideó etiam pertimescendus spicis. Marschalcus Galliarum nobilis, gentilitiis liliis inscripserat: *fuit, floruit, Profuit.* Hæc, optes meritò, humanæ vitæ spicis inscribi: sed quot illarum Pöeta accinet? *Ostendent hunc tantum fata,* quod Isai ex cap. 18. v. 4. adscribet. *Ante messem totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, & præcidentur ramusculi ejus falcibus.* Fæcundas vos opto ô spicæ, sed & cautas! Floridas, sed & pavidas! Ante messem, omnes seremini, sed messis vestra incerta est. Diu floridæ, momento cadetis. Nunquam falx procul abest, quæ undecunque veniat, vobis succumbendum est,

Quar-

Quarta *Proprietas*. Sic tamen quoque felices, si quandocunque, & quomodocunque caderis, illud Ducis Ignatii Martyris vobis conveniat. *Frumentum Christi sum*, nam cùm post messem spicæ, & triticum, ad horreum Domini deferuntur, fineque suo gaudent: tum zizania, & infelices segetes colliguntur & exuruntur. Heu infelicia semina! quid vobis prodest, tam pulchro vere lætata esse? quid tam florenti herbâ surrexisse? si vinculis, & igni præda parabamini? ô quàm flos vester caducus! quàm brevia incrementa lætitiæ vestræ! Ligabimini! ut pares paribus sociemini, rapaces rapacibus, fornicarii fornicariis: *ut quos similis culpa coinquinat, par etiam pœna compingat.* D. Greg. 9. Moral. 39. Ligabimini! ut omni libertatis spe recisa, æterni servitio ignis, addicemini. Ligabimini! & in ignem projiciemini, ut levem exultationem in vitio, immensis expletis tormentis in igne. Difficile est, ne, sicut ubi fuerit triticum, non inveniantur zizania: *ita, ubicunq; fuerit bonum Dei: non sit illic, scandalum inimici*, ait D. Epiph. homil, 15. in Matth. finitque utramque

Deus

Deus crescere, *non negligendo disciplinam, sed habendo patientiam inquit item D. Bern. serm.* 12. *in Psal.* 90. *Cæterum, aut vitis, unusquisque sit necesse, aut ignis: aut frumentum, aut tormentum.*

MODUS NONUS.

COnstat ex Allegoria imperfecta, quando propositio quidem allegorica ponitur: in decursu tamen orationis non adeò tenaciter similitudini quidem cohæreat, vultu tamen proprio, passim explicetur. Exemp. grat. dicturus Dominica 3. Quadrag. ad illa verba Lucæ 11. *Cum fortis armatus, custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet*, proponeres, Armaturum te, militem Christianum, & tum porrigeres illi gladium, clypeum, scutum, atque statim quid singula significent apertè explicares, juxta D. Paulum ad Ephes. 6. ut scutum intelligatur fides, gladius Spiritus, galea studium salutis: aut juxta alios sensus aliunde aptè petitos.

PRAXIS.

In Festo S. P. N. Ignatij.

Lucernæ ardētes in manibꝰ vestris. Lucæ 12.

Acces-

Accessus & propositio. Dubitare minimè possumus: lucernas ardentes, à S. Ignatio, ex præscripto, ad supremum agonem conservatas: illud utilius considerari potest, quos impetus, in eo studio senserit ac pervicerit: ut hac ratione ad virtutis ejus imitationem accēdamur. Monstrabo igitur quaternos ventos, lucernam ejus oppugnantes, nullo tamen lucis damno.

Confirmatio, debet constare ex assignatis quatuor ventis, lucem Ignatii oppugnâtibus, per quos, Allegoricè, intelliguntur impedimenta vitæ sanctæ.

Primus igitur *ventus* lucernam D. Ignatij oppugnans est, *Ventus orientalis.* Ferox hic omnino, & validus, ipsisquè initiis vitæ sanctioris extinguendis concitatus. Omne scilicet principium grave, quanto magis, principium illud? quo simul, est passus difficilimus, ad supremam perfectionem attingendam susceptus. Ventus est, ait D. Aug. tom. 10. homil. 3. *tentatio, & fluctus est.* Ille utique ventus, ille fluctus, de cujus similibus servator, Matth. 7. *Descendit pluvia, venerunt flu-*

minã;

mina, flaverunt venti, & domum viri insipientis, subvertêre. Nihil tamen hic ventus, nihil objectæ initiis ipsis conversionis difficillimæ tentationes, in lucem D. Ignatij potuêre. Nonne ventus ab Oriente consurgens, ætatis diu in sæculo militariter actæ, impetus? Nonne ventus ab oriente consurgens, literarum perdiscendarum, ad quas vir emeritæ militiæ, & annorum supra triginta aliquot, se accinxit, difficultas? Nonne ventus ab eodē Phosphoro irruens, persecutiones innumeræ, per quas & publicis in Academia pœnis propè subjectus fuit: & diro, propter exercitationes spirituales variis traditas, carceri injectus? At lucerna ejus extincta non est, adeòque inter tenebras pœnarum & carcerum, illud Senecæ in Consol: ad Helu. à luce Ignatiana, emicuit. *Carcerem intravit Socrates, ignominiam loco detracturus. Neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat*. Verius dixeris, in quo Ignatius erat, & lucem admirandæ in suscepto sancto proposito, constantiæ, spargebat.

Alter ventus, lucernam D. Ignatij op-

 pu-

pugnas, est *VENTVS MERIDIONALIS*. Mitis hic, & gratus videtur, sed cui minimè fidendum sit; cùm vitæ sanctitati, non minùs prospera (quæ per hunc ventum notantur) quàm adversa obsint. Hinc D. Augustinus libr. 17. de civitate DEI cap. 20. *Multi timent adversitatem, & non timent prosperitatem: at adversus prospera, acrius vigilandum est.* Num. 10. præcipitur clangor tubarum, in bello, & conviviis. De bellicis tubis dicitur. *Erit recordatio vestri, coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum.* De tubis autem convivalibus. *Canetis tubâ ut sint vobis in recordationem DEI vestri. Ego Dominus DEVS vester.* Adverte hic duo. Alterum, quod utrobique belli signum tuba, assumatur; alterum; quod non minus innuatur periculum in convivio, & prosperis: quàm in bello, & adversis. In bello enim tuba sonat, ut memoriam nostri apud Deum mereamur. In convivio autem; ne memoriam & recordationem DEI deponamus. Non adversitas, sed prosperitas, Angelum cælicis sedibus præcipitavit: præcipitatque
non

non rarò, quos in cælum virtus provexerat. Longè hoc periculum à D. Ignatio. Nihil illius lucernæ obfuit Auster ventosus: nihil illius facilitas & suauitas. Tot extases admirandæ, tot solatia spiritus, tot visiones cælicæ, ipsius etiam Sanctissimæ Trinitatis, inexplicabilis & clarissima conspectio: tantum in animum cautissimum, non valuerunt: ut vanam aliquando gloriæ cupiditatem, aut amorem, ad animum admitteret. Aspirabat cum his, hominum communis æstimatio, Principum reverentia, religiosorum cultus, non tamen mentem ardentissimam afflatu suo læsêre, non lucem minuêre; ut verè Ignatius, non lucerna solùm accensa, sed ignis natus, atque adeò inextinctus haberi mereretur.

Tertius Ventus lucernam D. Ignatij oppugnans, est ventus *AQVILONARIS*: adversitatum, quas in religione condenda, conseruandaque sustinuit. O quot illæ, & quantæ! Pontificum Romanorum quispiam ut habet Anony, gemmam habuit, in qua sculpta D. Ignatij imago: facem unam, solem versus, alteram contra noctuam protendebat. Prioris lemma.

Te Illustrat. alterius, *Te exurit.* Egit utrumque gloriosissimè D. Ignatius, latè per Provincias sociis dispersis, animarum commodis intentus: quod cùm ageret, evenit, quod antè notaverat homil. 11. Origen: *Qui amicitias expetit Iesu, multorum sibi sciat tolerandas inimicitias. Necesseque fuit, ut studiosus à vitiosis, minimè diligeretur*: quod rursus adducit Clem. Alex. lib. 10. c. 17. Oppugnata religionis novitas, nomen, instituta, mores: nihilque Aquilo turbulentus non movit, quo lucem orbi illustrandi ab Ignatio accensam, extingueret. Quid interea Ignatius, luminis veri, felix & indefessus tutor? & is cui Nazianzeni elogium Orat. 28. omni merito attribueris. *Duo arripi ac superari nequeunt. Deus & Angelus. Tertius est Philosophus.* (Christianus Religiosus) *in materia, expers materiæ, in corpore incircumscriptus, in terra cælestis, in passionibus impassibilis.* Non aliter tamen id egit: quàm Divinæ providentiæ benignâ manu, se à vehementissimis, Aquilonis turbinibus protegente: quàm lucernæ ardenti appingens eruditio. Aquilonem inter & facem,
dexte-

dexteram è cælis demisit, adscripsitque. *Hâc protectrice*, luxi scilicet, & lucem meam conservavi. Spopondit, hanc dexteræ protectionem Ignatio Christus, cum se Romæ propitium fore promisit. Notavit ejus digitum, Christi Vicarius, cùm in instituti laudem edixit: *Digitus DEI hic est*. Prodidisse videtur ipse Ignatius, cum interrogatus, quâ sapientiâ S. dimissa certa spe beatitudinis obtinendæ, ad pericula humanæ vitæ communia, se pro animabus Christo lucrandis, offerret: & certa incertis commutaret: respondit *Quid securius, quàm pro DEO periculum subire?* Tali omninò animo pericula, cum Aquilonis turbine peteretur, tulit, tali eadem vicit, atque ideò, constanter arsit & luxit.

Quartus Ventus Lucernam D. Ignatii oppugnans *Ventus OCCIDENTALIS*: ad quem referre possumus, vitæ ejus occasum, à quo, minimè extincta lucerna ejus, splendet hucusque. Sunt quorum omnia cum vita extinguuntur. Sunt qui deficiunt, *sicut deficit fumus à facie terræ*. Psal. 67. adeoque ab eorum obitu, nihil apparet, nisi fumus, nihil sentitur, nisi fæ-

tor: tantò etiam major, quantò magis referuntur ad illud Philosophi dictum: qui interpellatus à quopiam irrisoriè. *Edisſere quot libras fumi habet hoc lignum*, respondit graviter. *Expende primum, ejus cineres.* Verè enim majores cineres, plus fumi, plus *vanitatis*, plus etiam fætoris ferunt. Aliena tamen hæc, ab omni vitæ sanctæ exitu: aliena & à D. Ignatij sorte: cujus lucerna etiam vita occidente lucet in perennaturis vitæ exemplis, lucet in sanctissimis institutis, lucet in frequentibus admodum miraculis. Quid ajo? cur latius lucem non pando? Oritur sol & occidit, lucerna D. Ignatij, occasus est nescia; toto orbe sociis pro radiis diffusis. Vere filios Ignatii, filios passionis, & filios lucis dixeris. Passionis quidem pro filiis core, duce D. August. in Psal. 41. præferentes in nomine & re, quod Reges ostentant in diademate, scilicet crucem: & adversa fortiter sustinentes: Lucis autem; ex monito servatoris, ambulantes *dum lucem habent*, viam Patris sui, Ioann. 12. Cum Rigensis urbs, Livoniæ Princeps, Sueco se tradidisset; Sanctissimo nomini IESU, consuetis.

I. H. S.

I. H. S. in templo ſocietatis expreſſo; appinxêre hæretici Draconem: cujus hiantibus faucibus. hæc ad ſingulas literas nominis venerandi ſubjecta applicatio I. *Iam.* H. *habes.* S. *ſatis.* Significabatur novo invento potiſſimam hæretici triumphi partem quod ſocietas ex ea urbe ejecta eſſet. At quam malè ludit; malum ingenium, etiam cùm optimè luſum exiſtimat! draconis ſpeciem ſuapte ſuſcepit: cujus ſemper vult celare animum: rectius ad devoranda ſacratiſſima inſignia expandit, quorum præfert cultum. Verùm, & quam male, tam falſo ludit. Nequaquam ejus ingluviei, præda facta eſt, ſocietas: adhuc Ignatianæ lucernæ faces, dracones iſtos toto orbe terrent. Conduntur interdum, ut depromptæ faciliùs perſtringant: ſubducuntur, uni loco, ut in altero utilius luceant. Hient toto ore ſævi dracones, totóque efflent gutture immanes impetus, Lucerna Ignatii, Pharos æterno mundo erit.

MODUS DECIMUS.

COnſtare hic quóq; ex Allegoria im-

perfecta censetur. De natura interea non disputo, sed ad commoditatem u ûs illū profero. Est autem, quando Propositio quidem orationis, simplicibus verbis ponitur, probatio autem non simpliciter, sed sub similitudine & Allegoria tractatur. E. g. si Dominicæ Sexagesimæ proponas, inquisiturum te. Quid sit causæ, quod verbum Dei ex se efficacissimum, valdè parū in hominibus operetur: & in confirmatione, reddas rationem propositionis, retentâ Allegoria seu similitudine seminis, in viam inter spinas, & super petram cadentis: non jam explicando, quid per has metaphoras intelligatur, sed sub ipsis Metaphoris intentum prosequendo. Hac ratione dicendi, potissimum uti solemus, cum Evangelia duo ejusdem diei, aut Evangelium, & aliquis locus aliunde petitæ scripturæ, aut Evangelium & Epistola combinantur.

PRAXIS.

In Die sanctissimo Pentecostes.

Paracletus Spiritus S. &c. ille vos docebit omnia, Ioan. 14.

ACceſſus & *Propoſitio.* Nemo mortalium ita jucundus; quin conſolatore Spiritu ſancto egeat: non omnes tamen ita felices, ut eum Paracletum hoc eſt conſolatorem experiantur. Videamus ergo, quid obſtare poſſit, ne nobis promiſſus Conſolator, ſit Conſolator.

Confirmatio, ex combinatione Epiſtolæ, & ſimilitudinum linguæ, venti, ignis, ſub quibus apparuit Spiritus Sanctus.

Tres ſpecies, ſeu ſimilitudines ex Actis Apoſtolorum cenſentur, ſub quibus Spiritus S. diſcipulis apparuit: linguæ, venti, ignis: & ſingulæ, ut ſpiritum eſſe paracletum monſtrant: ita cur nobis non ſit ſæpè Paracletus, docent.

1. Linguæ, ſignificant Paracletum. Sunt enim inſtrumenta, ſuadendi, diſſuadendi, erudiendi, ſolandi. Hinc & S. Ephrem in ſuis orationibus linguæ *Citharam* appellat, cujus concors harmonia, plurimum homines recreat: quæ omnia ſublimiori modo, linguæ, Spiritui ſancto conveniunt; cum illo promiſſo venienti. *Ille vos docebit omnia.* Si melior gutta ſapientiæ, quàm

dolum fortunæ: sique unius rei scientia animos maximè delectat: quod erit solatium scire sub hoc Magistro, *Omnia* magnum omninò: sed monente Aug. tt. 9. in Ioann. *Auditorem hæc lingua desiderat. Excute aurem, intende melodiam.* Quid mirum, si nihil ab hac cælesti lingua solatii referamus, cum aures loquenti non damus? Illa amat loqui in solitudine, & silentio Oseæ 2. 14. quemadmodum hodie locuta Apostolis: nos publicum ambimus; illa vult loqui pacem in nobis. Psal 84. Nos extra nos, turbas quærimus. D. Baptista ad prædicandum missus Ioan. 1. se totum *vocem* dixit, ut auditores toties faciat *aurem*, Quid nî id quoque hæc Divini Magisterii explanatrix lingua requiratur? quod quia non obtinet, meritò in nobis perficit, à se ipsa Eccl 31. edicta *ubi non est auditus non effundas sermonem*. Quid si aliis interlocutoribus, libentiùs insuper aures damus, carni, mundo, dæmoni. *Zelotypus est iste sponsus* dicebat D. Bernar. de Christo in scala Claust. §. 10. *Si fortè alium amatorem receperis, statim discedit à te.* Idem judiciũ, de Spiritus Sancti Magisterio, & Consolatione esto.

2.

2 Ventus, significat itidem Paracletum. Est enim Spiritus Sanctus, ut canit Ecclesia, *in labore requies, in æstu temperies*, quam ventus causat. Neque obstat quod apparuerit: in specie venti, seu Spiritus vehementis. Factum id, ut impletur, Prophetæ vaticinium. Psal. 43. *In Spiritu vehementi, conteres naves Tharsis.* Quid sunt naves Tharsis nisi viri potentes, viri divitiarum stupentes hodie in prædicatione Evangelica? Factum id item, ut ostenderetur modus, quo in nobis solandis uti solet: scilicet afflando nos in spiritu vehementi. Nam ut notat B. P. Ignatius, in suis exercitiis spiritualibus: Spiritus Sanctus solet præmittere, solatiis, animi conturbationes: quæ deinceps in solidum gaudium desinunt sicut è contra, spiritus reprobus; incipit à solatiis desinit in tristitiam. Psal. 142. *flabit spiritus ejus & fluent aquæ.* O dulces aquas? O prætiosas Cæli guttas? quæ sunt, *non solùm redemptio peccatorum*, teste Ambr. sed & *refectio justorum*, quando rigabitis aridam mentis meæ? Tunc, cum flabit Spiritus ejus Spiritus vehemens, qualis solet nubes congregare; nubes utique timoris Dei, & hor-

horroris peccati; præambulæ liberalis pluviæ, solatiis animam, inundaturæ. *Secundum multitudinem dolorum meorum, in corde meo; consolationes tuæ, lætificaverunt animam meam* Inquit, rem expertus David Psal. 93. Quid hic agimus imprudentes mortales? Vix Spiritus vehementiam sentimus, & statim nos illi subtrahimus. Nimirum ut verissimè Ioan. Akempis, frater Thomæ apud Buss. cap. 3. *Humiles esse volumus, sed sine tribulatione: obedientes, sed sine coarctione: pauperes, sed sine defectu: virtuosi sed sine labore: pœnitentes, sed sine dolore.* Decernente contrarium, immutabili veritate Eccl. 9. *Timorem & metum, & probationem, inducet super illum: donec, tentet eum in cogitationibus suis: & firmabit illum, ut iter adducat rectum ad illum, & lætificabit illum.*

3. *Ignis.* Hic quoque significat Paracletum, seu consolatorem Spiritum S. quia in igne descendit: ait Hugo de S. Victore, *ut haberet lumen & flammam: Lumen ad cognitionem, flammam ad dilectionem.* Quo quid fecilius? quid delectabilius? Nec cælum dabit plura: quam, quia ibi eum

vide-

videbimus, amabimus, laudabimus ait. Aug: in soli. Sed, ut vulgò ferunt: *Sine lignis non erit ignis.* 3. Reg. 15. immolavit Elias holocaustum perfusum aquâ: quod, ignis Cælo lapsus, consumpsit. Miracula hæc sunt Spiritus Sancti: pro sua potentia operantis, & Magdalenas, Paulos, Guielhelmos, accedentis. Cursus & ordo destinatus ita fert, ut sine lignis non sit ignis. *Quemadmodum lux* teste Bern: in Cant, 1. *in cassum circumfundit, oculos cæcos, vel clausos: ita animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Quippe, Spiritus Sanctus effugiet fictum, sed nec ei erit unquam pars, cum mundi vanitate: cum sit Spiritus veritatis.* Unde idem meritò concludit de tripl. Custo. *Omnes nobis causamur deesse gratiam, sed justius, forsitan, ipsa sibi queritur gratia, deesse nonnullos.* Nempè, *res cordis ista gratia est, quam quærimus: & hoc munere se ipse fraudat: qui internum ei dissimulat habitaculum, exhibere.* Da cor, humanis affectionibus vacuum, Carnis amoribus remotum, mundo aridum, Cælo promptum, & Spiritus S. flammâ dignus eris: fietque tibi, qualis venit Paracletus.

MODUS UNDECIMUS

AD Allegoriam imperfectam, hic quoque refertur: sed præter Allegoriam, habet aliquid ex inventione Poëtica: quod tamen grave debet esse omnino ac liberale, & Christiana apprehensione dignum habet usum, potissimum in Panegyricis orationibus: cum in laudem alicujus, eriguntur columnæ Pyramides, arcus triumphales, altaria, monumenta, tituli: quod idem in vitiorum reprehensione fit, repræsentando supplicia, Carceres, tormenta conscientiæ, &c. Hoc modo uti posses die Palmarum, dicendo. Optare aliqua particulâ accedere ad applausum Triumphantis Christi, & ideo tria minimum lemmata triumpho tanto adijcere. Primum supra Civitatem, inscribendo: *Regi animorum:* Neque enim in tam humili ingressu, talem plausum mereri potuit, nisi animis imperâsset. Secundum supra palmas, & ramos, in ingressu fractos. *victorum perfidiæ.* Respiciendo ad illud D. Leonis. *Adhuc palmas frangit.* Tertium supra lapides, qui clamâssent, si alii tacerent: *Deo cognito.* Alludendo ad illam inscriptionem simulachri

chri Actor. 17. Ignoto. Deo Similiter, hoc modo, in vituperium vitii uti posses Dominica 13. à Pentec. in illud Lucæ 13. Novem autem ubi sunt? dicendo, morem hunc receptum esse pluribus regnis, ut si fortè, rei læsæ Majestatis, aut alterius criminis conscii, manus judicum effugere tentent: imagines eorum per urbes proponantur: quatenus, ex earum expressione cogniti: magistratui tradantur. Ecce non unus, sed novem scelesti, se Christo subtraxêre. Ecce palam requiruntur; ubi sunt? ne itaq; necessariam diligentiam eludant, imaginem vobis, eorum proponam, ut agnitos ad Christum redire compellatis. Sequi deinde deberet ingratorum hominum descriptio, & veluti quædam pictura: vultûs dejecti, oculorum palpitantium, aurium surdescentium, memoriæ perfidæ, judicii stulti, Cordis vesani &c.

P R A X I S.

In Festo Immaculatè conceptæ Deiparæ Virginis, de qua natus est IESUS. Matth. 1.

ACcessus est propositio. Triumphale hodie festum agimus, Triumphat enim,

enim, innocentia de peccato; triumphat gratia de natura, triumphat Christus in Matre sua de communi generis humani hoste: venit igitur in mentem mos vetus majorum nostrorũ, vexilla, in Capitoliis & templis, in signum triumphi, appendere solitorum. Hunc imitabor, & triplex vexillum, Rubrum, Album, Nigrum coram vobis præsentabo ac appendam singula designabunt; Immaculatè conceptæ VIRGINIS triumphos, singulisque inscribetur ingens hoc maximi Privilegii compendium. *De qua natus est IESVS.*

Primum vexillum, esto *Rubrum*: rubens scilicet, sanguine Christi, ex cujus meritis, D. VIRGO est à peccato originali præservata *sine sanguinis effusione, non fit remissio*, insonat tuba Cæli Paulus ad Hebr. c. 2. non solùm mortalium, sed neque venialium: quæ heu! obliti sanguinei remedii, verissimè admittimus: neque originalis, à quo Deiparam liberam esse, Ildefonsi sensu affirmamus: cujus verba contra disputatores de Virginitate Mariæ sunt *Totum, quicquid in MARIA fuit, possedit Spiritus Sanctus, Quoniam virtus*

Altis-

Altissimi obumbravit eam Quod si virtus Altissimi, obumbravit in conceptu, & in partu: sicut ab omni æstu libidinis libera fuit, ita ab omni pressura maledictionis: non ex sese, sed ex virtute Altissimi. Quapropter cogitent isti disputatores: naturarũ Leges, cogitent & divinarum rerum virtutem: quia non ex natura rerum divinæ Leges pendent, sed ex Divinis Legibus naturæ rerum, & leges, manare probantur. Ios. 6. Ruente Iericho; Rahab, sub signo purpureo, tuta duravit: personante inter totius vulgi gemitus, & mortes; triumphali Iosue edicto. *Sola Rahab vivat. Oppresso,* ab hostibus sævissimis genere humano, per originale crimen: inter omnium mortalium sævissima exitia, MARIA sub signis meritorum, & sanguinis Christi, libera à peccato fuit: edicente magno IESU, sola MARIA vivat. Hoc sponsus cælestis in illa suspiciens, Cant. 5. *Comæ ejus, purpura Regis.* Quid comæ nisi principis ut rerum, ita vitæ, juxta Patres significent, quid palmæ & purpura Regis nisi palmares triumphos Marianæ Conceptionis, per Sanguinem Christi ejusq; purpuram obtentos?

O noſtram extremam egeſtatem! quorum vitæ principia, gratia Dei ſpoliatâ, turpem exprobrant cum nuditate paupertatem: MARIÆ VIRGINIS Conceptio, longè opulentiſſima Purpura Regis eſt. Appendatur igitur triumphale vexillum ad decus immaculatæ Conceptionis Virgineæ inſcribaturq; rubenti ejus purpuræ, *de qua natus eſt IESVS*, ut omnes intelligant: non naturæ dono, nec meritorum propriorum virtute, ſed meritis IESU Chriſti ejuſque Sanguinis, Virginem, à peccato præſeruatam.

Secundum vexillum, eſto *Candidum* ſeu *album*, typus pulchritudinis & candoris animæ illius feliciſſimæ ab omni peccato liberæ Æternitati ſanciandæ, hoc ſpectaculum ſufficit: interea cum Anſelm. exclamare par eſt. *O Benedicta ſuper mulieres, quæ Angelos vincis puritate, & Sanctos ſuperas pietate.* Cum Salomon dedicâſſet templum 3. Reg. 3. nebula implevit templum Domini, quem locum expendens D. Dami. Orat. 2. de Nativitate Beatæ Virginis MARIÆ: atq; cum illo Pſal. 18, in *Sole poſuit tabernaculum ſuum* conferens,

ferens, sic ait. *Ad illud templum Salomonis, Dominus in nebula descendit: ut communem Iudaicæ infidelitatis, designaret caliginem: in hoc, scilicet S. MARIA, in Sole posuit tabernaculum suum, ut sedentes in tenebris, & in umbra mortis illuminaret.* Templum Dei, nos quoq; esse Paul. 1. ad Corinth. 3. affirmat. In hoc templum, nunquam descendit Dominus, nisi caligine umbræ mortis, id est peccati originalis præcedente: in Templum Marianum descensurus, *in sole posuit tabernaculum suum.* Sol Maria semper fuit, & quia sol, semper luxit: adeoq; in ipsa conceptione. Ut lumen solis, sole ipso non tempore, sed naturâ posterius est: ita lumen gratiæ de MARIA, non post tempus Conceptionis, sed in ipsa conceptione emicuit: quamvis naturâ prius, sub debito originali constitutam, cogitare aliquis possit. Erigatur igitur secundum vexillum innocentiæ & sanctitatis candidum, inscribaturq; illi. *De qua natus est IESUS.* Hæc nimirum præcipua ratio hujus tantæ sanctitatis, & immaculatæ integritatis est, dignitas maternitatis, *Quid enim vitii in ejus mente,*

vel corpore, potuit sibi vendicare locum, quæ ad instar cæli, plenitudinis totius Divinitatis, meruit esse sacrarium? ait Dam. Serm. 3. de Nati. Gravis nota tantæ dignitatis, egere velo oculorum, audireq; durum illud Gen. 20 *memento te deprehensam. Imò decebat ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi VIRGO illa niteret, loquor cum D. Anselm. de conceptione: cui Deus Pater, unicum Filium suum quem de corde suo, æqualem sibi genitum, tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat: ut naturaliter, esset unus idemq́; communis DEI Patris, & Virginis Filius: & quam ipse Filius substantialiter, facere sibi matrem eligebat, & de qua Spiritus Sanctus volebat, ut conciperetur, & nasceretur ille: de quo procedebat, hoc est, qui natus est de MARIA Virgine Iesus.*

Tertium vexillum, esto *Nigrum*: Ferale triumphatis hodie hostibus, fortunatum autem, nobis signum; Vetulinus Tyrannus Authore Bineto, organa ex ossibus hostiũ cæsorum struxerat: quibus inscripsit. *Saltus Regum, mors hostium.* Similis nobis cantio, tot millibus annorum occinebatur, eratque

saltus

saltus Dæmonum, mors hominum: donec hodierna dies illuxit, quæ innocentiâ & vita generi humano in D. Virgine restituta, fatalem hostibus intulit noctem. Hanc dum nigro vexillo signamus, revocare libet factum Olgierdi magni Ducis Lituaniæ qui Moschorum metropoli armis occupata, vexillum Litvaniæ in ipso Capitolio Moschoviæ defigi, in perpetuum triumphi monumentum voluit. Quid ni ex similitudine humanarum rerum arguamus? in ipso capitolio, adeóque corde inferni, vexillum triumphatricis innocentiæ fixum, quando juxta Psal. 63. *Sagittæ parvulorum* id est infantûm, *factæ sunt plagæ eorum* id est Dæmonum *& confirmata est contra eos virtus eorum*, virtus utique, tot sæculis trepidata, hodiernæ lucis momento, elisa. Ipse certè Deus, ac Dominus noster, de hac victoria triumphare, atque ad spectaculum nos invitare videtur Psal. 45. *Vacate & videte, quoniã ego sum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.* Materia hujus invitationis est præmissa. *Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni:*

Arcus de longe sagittat: arma cominus feriunt: scutum hostem tuetur: O vanam omnem inimici in Maria Virgine audaciam! in cujus conceptione, arcûs hostium conteruntur, quia originali labe tanquam sagitta eminus missa Virgo MARIA, non tangitur: arma confringuntur, quia in ipsa conceptione, in gratia confirmata, actualiter peccare non potest: scuta igni comburuntur: quia rationes; naturalis originis, filiæ Adam, humanæ Conditionis, Divina exceptione, & liberalitate supplentur: quod quidem illâ voce significatur, *quoniam ego sum DEVS*, cui scilicet, natura paret. Erigatur igitur hoc quoque vexillum eique inscribatur, de qua natus est Deus ut significetur Virginis excellentia, in qua tam gloriosè triumphat de hostibus communibus, D. Noster IESUS Christus: utque amatores IESU, & MARIÆ: piè exultando, glorientur cum Davide Psal. 19. *In Nomine Domini nostri magnificabimur*, aut ex lectione Hebræa juxta Genebr. & Ariam *in Nomine, Domini nostri, vexilla erigemus.*

MODUS DUODECIMUS

SYmbolum aliquod grave ac magnificũ, figura item, aut Hieroglyphicon assumitur, & oratione tota tractatur: Porro tractandi modus, currit per explicationem Symboli, & per applicationem illius, ad rem symbolizatam: secundùm partes, effectus, causas, & similia, ut ex symbolo figurave, doceamur, quid sentiendum sit, de re symbolizata, figurata, &c. Unde conciones imperfectæ, quæ orationi, lemma aliquod, aut picturam præfigunt: de quibus in decursu orationis, aut nihil, aut vix verbum adferunt, per symbolum formatæ dici non possunt. Sunt ergo tantùm oblectamenta ingenii, aut oculorum, non verò cibus orationis. Exemplum præcepti nostri posset aliquis formare die S. Thomæ Aquinatis ad illud Evangelii Matt. 5. *Vos estis Lux mundi*, dando id gloriæ D. Doctori, quod sit Lux, & quidem non minor quæpiam; sed Lux solis, illud interea sciscitando, quid novi esset, quod id ipsum significatura Ecclesia, solem, non circa imaginem D. Doctoris, non in manibus ejus, non supra Caput, sed in medio pectore

pingi voluerit? Poteſt autem hac ratione ſignificari primò, quod dixit D. Ambroſius. *Alia eſt ſapientia operum, alia opus*. Sapientia operum, eſt tantùm præſcribens ſpeculativè opera: Sapientia quæ eſt opus, eſt practica & Sanctorum germana. Prior gaudet fulgere radiis, geſtari manibus, ſplendere capite, etiam cum Phäetonte mundum aduſturo: Altera, Pectus poſſidet, quod merito oſculatus dicas cum Parente Origenis, Filii pectus noctu de oſculante, *Ave carum pectus, tabernaculum Spiritus Sancti*. Secundò poteſt ſignificari excellentia ſcientiæ, virtutumq; D. Doctoris: nam ſol, in pectore conſtitutus, eſt ſol medium hominis tenens, & quaſi medium cæli: quod cum obtinet, lucidiſſimus eſt. Die quo D. Doctor natus eſt, natus & D. Ambroſius Senenius & D. Iacobus, omnes ejuſdem ordinis. Viſæ etiam in cælo, ipſa meridie tres lunæ, & vox audita. *Ad Scholas, ad Scholas*. O! in quam plenos iſtæ lunæ; mutatæ deinde ſoles? ſed vicit cæteros, ſol Thomæ; planeq; meridiem; in ſcholis Sapientiæ & ſanctitatis obtinuit. Tertiò poteſt ſignificari

cari utilitas ſcientiæ ejus & virtutum. Nam dum ſol medium cæli obtinet, tam liberaliſſimè radios ſpargit, & mundo ſe communicat, eiq; prodeſt. *Omnes de fonte publico bibunt, hoc eſt de pectore tuo*, ait Bern. ad Eugen. lib. 5. veriſſimè id ad D. Doctoris pectus retuleris, quemadmodum & ſymbolum Herculis Taſii, qui ſolibus ex reflexione per nubes apparentibus, adſcripſit. *Quia reſpexit.* Niſi enim Thomæ ſol reſpexiſſet innumerata lux defuiſſet: adeoq; quos ut ſoles ſuſpicimus, ſoles non fuiſſent. Similiter Dominica 1. à Penteco. illa verba Luc. 6. *Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt*, conferendo cum alijs, Matt. 5. *qui ſolem ſuum oriri facit, ſuper bonos & malos*: Sole etiam, pro Symbolo divinæ miſericordiæ aſſumpto, diceret: quemadmodum ſol, omnibus ſe impendat: idq; gratuito & ſemper, niſi aliunde, quam à ſe ortis nubibus impediatur. Quemadmodum item orbi temporũ viciſſitudine ſubtractus, ſe reſtituat: nunquam ſine ſpe revicturæ lucis condatur. &c. quæ ſingula ad miſericordiam DEI eſſent referenda, & inde ad miſericordiam

requisitam in Evangelio à nobis. Plena est Symbolis sacra scriptura, & abundant SS. Patres gemini, ijdemq; abundantissimi, inventionum fontes. Nam Symbola Pontificum, Imperatorum, Principum, magno delectu authoritatis & dignitatis pro fundamento orationis sumenda. Quodcunque autem symbolum, aut cujuscunque dum tibi arrideat, afferendum probandumque sumere, infra dignitatem rei est.

PRAXIS.

In Festo S. Iosephi Sponsi B. V. MARIÆ

Cum esset desponsata Mater ejus MARIA Ioseph. Matth. 1.

ACcessus & *Confirmatio.* Magnum ac Venerabile Nomen D. Iosephi, ita auribus accidit: ut continuo in memoriam revocet, alium Iosephum Patriarcham. Multis dotibus, prior posteriorem designat, posterior priorem prodit. Prosequitur utriusque comparationem Claræva..s, Sanctus Abbas homil. 2. super missus: mihi interea unum statutum declarare, quemadmodum manipulus D. Patriarchæ, de

qua

quo ipse loquitur Gen. 37. expresserit dignitatem Sponsi D. Virginis MARIÆ, per Evangelii quoque hodierni commendationem insinuatam.

Confirmatio, à proposito & explicato Symbolo manipuli Gen. 37. *Putabam* inquit Patriarcha Iosephus *nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosq; manipulos circumstantes, adorare manipulum meum.* Verba hæc tres potissimum nominant circumstantias, quæ & commendando D. Patriarchæ manipulo, & celebrandis D. Iosephi Sponsi Virginis Mariæ, laudibus deserviant. 1. Quod sit visus, ille manipulus, *ante* alios, *consurgere*. 2. Quod sit visus, *Stare*. 3. Quod sit visus, *Adorari*.

1. Igitur, *Consurgere* videbatur manipulus D. Patriarchæ per quod significabatur, eum fraude fratrum dejectum, & in opinione Patris mortuum, iterumque dolo impiæ fæminæ allisum, tandem ope divina surrecturum.

Simili multum ratione D. Nutritius, mundi judicio dejectus, tanquam faber, & ex plebe unus sub contemptu jacuit: alte

altè tamen assurrexit, cùm dignitas ejus, illis Evangelij verbis per orbem insonuit, *Ioseph fili David*. An enim hoc non est sublimiter surgere? in Throno Christi considere, at thronus Davidis, Thronus Christi est. Sic enim Gabriel ad Virginem Lucæ. 16. *Dabit ei Dominus, sedem David Patris ejus*, & quidem ut probat Cornel. in Matth. thronus hic jure primogeniture, Iosepho debitus fuit. Gen, 41. Ioseph Patriarcha, currum Pharaonis ascendere jussus, gloriosissimè per Ægyptum circumvectus est. Beatissimus D. Virginis sponsus, non in curru solùm: sed in Throno, altè hodie attollitur, nec in Throno Pharaonis, sed in Throno Christi, nec clamante præcone, sed manifestante orbi Angelo: *Ioseph fili David*. D. D. Ioannes & Iacobus Apostoli, cum petiissent à Christo, Throni communionem, Matt. 20. idque non ejusdem, sed ut unus sederet à dextris, alius à sinistris: ad ulteriora merita sunt dilati. Præventus etiam est, & non solùm non dilatus D. Ioseph, ablato Throno Christi, ut vel inde conijceremus, quantus coram Deo fuerit; quem & hæredem throni David,

David, & hæredem dignum, qui esset Pater, promissi Messiæ, adeoque illum, à quo successio Throni ad Christum derivaretur, Deus elegit: ut merito, D. Bonav. ubi suprà, dixerit. *Plane filius David, non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione*, & Hugo Card. supra illa verba Gen. 45. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens. Accrescens secundùm virtutem, accrescens secundùm dignitatem.* 2. Visus est *Stare*, manipulus D. Patriarchæ, ad significandam solidam gloriam, D. Sponsi Mariæ, & nutritij Christi, nam consurgere quidem, & tantisper erigi, non rarum est: at, *fortunam & dignitatem retinere atq; in occupato vertice consistere, hoc verò satis Dominari est*, inquit, morum insignis scrutator Plutar: Id verò fecilitatis evenisse, D. Nutritio Christi, testantur illa verba Evangelij. *Ioseph vir justus.* Quid enim est esse justum nisi ante Deum stare: Omnibusq; vitijs, constanter ac immotè dominari. *Omnes*, scilicet, *virtutum species* teste D. Hieron. ad Demet: *in uno justitiæ nomine continentur*: Hem nos pergit Sen: Epist. 120. *qui, modo frugi tibi videbimur,*

&

& graves modò prodigi; & vani: mutamus subinde personam. & contrariam ei assumimus D. Iosephi perpetua laus est, *vir justus*; aut quod idem est, juxta Bernard. loco citato, *vir virtutis*. De manipulo D. Patriarchæ loquens Lipom: in Genes: ait, illic visum surgere, & veluti columnã stabilitum. Sic stetit Ioseph. Columna; non jam fulciendo solùm cælo, sed sustinendo sinu suo ipso cælorum *Domino* par: Sic stetit Ioseph, non erectus, ut caderet: sed suscitatus, ut labentem Orbem, meritis & officio sustineret. Sic stetit autem Ioseph quia vir justus. Ad Philip. 4. *Itaq; Fratres mei charissimi, gaudium & Corona mea sic state in Domino, quemadmodum stetistis immoti*: Supra quæ D. Augustin: de gratia cap. 6 *Quid est ut stetis nisi perseueretis?* Iustissimus timor D. Pauli. Ardua nimium res est, inter tot mundi tumultus sic stare, quemadmodum semel constiteris. Infra virtutem tamen D. Nutritij cessit, quod tam arduum censetur: Constitit Iosephus, & perstitit, cui cælum adscripsit, *vir justus*, id est ut sensu D. Hieron. progrediar: *Inconcussus, & semper vir unus*

in 1. Reg. Cap. 1 3. Visus est manipulus D. Patriarchæ *adorari* quod & impletum est Gen. 41, 43. clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, Hæc dignitas D. Nutritio debita, exprimitur illis verbis Evangelij: *Cum esset desponsata Mater ejus MARIA, Ioseph.* Quis enim non adoret quem sic Deus extulit? *O miranda prorsus sublimitas, tua Ioseph.* exclamat Gerson: Ser. de Nativi: *O dignitas incomparabilis, ut Mater DEI, Regina cœli, Domina mundi, appellare te Dominũ, non indignum putaverit:* An idem & Christus fecit? fecit certè. *Erat enim subditus illis.* Lucæ 2. D. Virgini ut Matri, D. Iosepho ut Patri. Nec plura ad dignitatem D. Nutritij exaggerandam, aut cultum ei debitum, persuadendum exigas, dicebat olim Philippi Macedonis Orator. Hoc unum sufficiat dixisse, filium te habuisse Alexandrum. Rectius id nos dixerimus & gloriosius de D. Iosepho. Hoc unum sufficiat dixisse, Filium te habuisse Deum, ut proinde eximias laudes & cultum terrarum Cælorumque merearis. Trinitas hæc quædam terrarum admirabilis,

lis, & divinæ imitatrix est. Iesus, Maria, Ioseph: dividi à se non possunt & secundū Iesum ac Mariam D. Ioseph, honorem Orbis sibi vendicat.

MODUS DECIMUS TERTIUS.

PLura Symbola, figuræ, Hieroglyphica assumuntur, quæ idem symbolisent, figurent, exprimant: Ut si in Festo S. Casimiri Confessoris: M.D. Lit. Patroni, Vigilantiam *D.* Casimiri expressam velles per Leonem; de quo Isa. 21. *& clamavit Leo; super speculam Domini ego sto*: per Angelum; de quo Daniel. 9. *& ecce vigil & Sanctus; descendit de cælo imo Angelus.* Per virgam vigilantem de qua Ier. 1. *virgam vigilantem ego video.* Similiter si Dominica 2. post Pascha, pastorem bonum, exprimeres per Iacobum greges soceri sui studiosissimè pascentem. Gen. 31. & per *D*avidem, pro gregibus, cum urso & Leone dimicantem 1. Reg. 17.

PRAXIS.

In die auspicatissimo Nativitatis Domini Nostri IESU CHRISTI.

Verbum

VERBVM Caro factum est. Ioan. 1.

A *Ccessus & Propositio.* Innumera planè hodie cælo terràque miracula contigere. Nam patuerunt sidera conspecti in aere Angeli, visa in sole, Virginis cum infante imago, fons olei Romæ subito manavit, nullum tamen, majus hoc miraculo, miraculum factum est, quo Verbum Caro factum est. Excedit id omnino omnem captum non solum eloquentiam: Ideoque, quia quale sit capere non possumus, in imagine & umbra figurarum sacræ scripturæ, illud contemplemur:

Confirmatio debet constare ex aliquot figuris ad Verbi Incarnationem relatis.

Inprimis igitur, miraculi huius magnitudinem, quo, *Verbum Caro factum est*, repræsentare nobis potest Visio Moysis Exod. 3. *apparuitque ei Dominus, in flamma ignis, de medio rubi: & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Nunquid non grande istud prodigium? Certe Moyses ipse ait, *Vadam, & videbo, visionem hanc magnam.* Magna omnino visio, sed visionis, quâ Verbum Caro factum,

videtur umbra. Quid ita? *rubum quem viderat Moyses incombustum, agnoscimus tuam laudabilem Virginitatem S. DEI Genitrix*, canit Eccles. O quam non difficile est intellectu, negatum fuisse concursum igni, ad urendum, cum daretur ad lucendum? ô quam captu imperceptibile, Virginitatem cum maternitate esse conjunctam? ignis ne noceret servis Dei non rarò ea potestate, qua in rubo etiam deinceps prohibitus. Virgo & Mater simul.

Nec Primam similem visa est, nec habere sequentem,

Hinc D. Leo Ser. 2. de Nati. Non hic considerandа est parientis conditio, sed nascentis arbitrium, *ut scilicet haberet Matrem, quæ esse castrum securitate, murus fortitudine, Clypeus defensione, Columna rectitudine, sponsa fide, amica dilectione, Mater fæcunditate, Virgo integritate* ait Hugo: de S. Victor. Ser. 34. opus divinæ potentiæ! ô prodigium naturæ, ô plusquam rubum incombustum! Verbum carnem factum.

Ejusdem miraculi umbram, exprimit Columna dux Israelis, Nimirum, iterum

ſolvuntur tenebræ, rurſus lux oritur, rurſus Columna Iſrael illuminatur, inquit D. Nazian. Serm. de Nati. Verùm tamen ut Columna Iſráëlis non ſemper ignem ſparſit, ſed ductus eſt, ille populus. Exod. 13. *Per diem, in Columna nubis, & per noctem in Columna ignis.* ut Dux eſſe in utroq; tempore: ita Verbum CARO DEUS homo Salvator noſter, *Lux qua illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum*: Ioan. 16. Nube tegitur, imo columna nubis eſt, defendens nos ſuſcepta Carne ab æſtu temporali, Vitiorum; & æterno, ſuppliciorum. Hinc D. Aug. in Ioan. 14. *Noli contemnere nubem Carnis. Nube tegit non ut obſcuretur ſol, ſed ut temperetur.* Confirmat ſenſum D. Chryſo. Ser. 6. Chriſtus totum pavorem divinitatis, *id eſt ignem & lucem, totum metum judicis, in habitum noſtrum dedit.* Niſi enim ille, pergit S. Leo Ser. 3. de Nat. *ad nos, hac humilitate deſcenderet, nemo ad illum, nullis ſuis meritis perveniret.* Verè Verbum Caro, columna & Dux Iſraelis, ſed longè mirabilior Dux, & mirabilior columna, priore, Formabat illam Angelus, hanc

Virtus Altissimi: Mutabat illa ignem nube, & nubem igne: ut cum luceret non inumbraret, & cum inumbraret non luceret: Simul ab hac, Lux & Umbra spargitur, Lux, Verbum, Umbra caro. Non potuit in illa consistere ignis cum nube, nec nubes cum igne: Nubes & ignis simul hanc constituunt: & nec ignis perdit Nubem, nec nubes mutat Lucem, nec divinitas tollit humanitatem, nec humanitas imminuit divinitatem, *Assumpsit* scilicet *carnem* inquit August. in Dialog. 965. *non se convertit in Carnem*, quem etiam sensum explicans Flavian. Antioch. *VERBVM* ait *CARO* factum est, non quod in Carnem *mutatum sit, neq; quod Deus esse destitit, sed quod Dei consilio & dispositione carnem assumpsit.* O iterum Miracula? iterum prodigia & plus quam columnæ, Isráëlem ex Ægypto deducētis, prodigia, *utramq; enim Substantiam, in unam convenisse nisi fides credat, sermo non explicat,* concludit D. Leo Ser. 9. de Nat.

Tandem, ejusdem miraculi umbra est, sol ipse per decem lineas descendens 4. Reg.20. Ægrotabat tum Ezechias Rex, cum solis

solis retroacti signum, datum: Iacebat deinde æger, totus mundus, magnus & mente D. Aug. ægrotus: ut veniret magnus medicus. Venit, & ad dandum signum salutis, sol per decem Lineas descendit, VERBUM Caro factum est. Sol Verbum, Caro, Verbi decies iteratus descensus. Vis eum pernosse? Suspice cælum, & respice stabulum. 1. Ecce qui cælorum Dominus, stabuli hospes est. 2. Quem Seraphim Sanctum proclamant, huic peccatores diversorium negant. 3. Quem Cherubim stupent, hunc animalia bruta stipant. 4. Quem Dominationes adorant, hic à nemine noscitur. 5. Quem Virtutes colunt: hic infirmus jacet. 6. Quem Potestates tremunt, hic frigore premitur. 7. Cui throni succumbere desiderant, hic præsepi tenetur. 8. Qui priscipatus gubernat hic sinu Virginis gestatur 9. Quem Archangeli suspiciunt, hic despectus jacet. 10. Qui Angelos habet ministros, hic humana ope indiget. O admirabilem & terris cælòque stupendum descensum, 1. de Domino ad subjectum 2. de gloria ad humilitatem, 3. de potentia ad infirmitatem, 4 de divi-

tiis ad paupertatem. 5. de robore, ad debilitatem. 6. de opulentia ad egestatem. 7. de impassibilitate, ad tolerantiam. 8. de gaudio, ad lachrymas. 9. de magnitudine ad parvitatem. 10. de felicitate ad humanæ vitæ miserias. En decemplicem Solis nostri descensum. Utinam illum expendas homo, utinam D. Ambrosium audias, te Cap. 2. in Luc. alloquentem. *Ille igitur parvulus*, scilicet Deus, Homo, Verbum Caro, *ille infantulus fuit, ut tu Vir possis esse perfectus:* ille involutus pannis, ut tu mortis *laqueis sis absolutus, ille in præsepibus, ut tu in altaribus, ille in terris, ut tu in cælis. Meum ergo paupertas illius patrimonium est, & infirmitas Domini mei, mea est virtus. Me illius infantiæ vagientis, abluunt fletus: mea lachrymæ illæ delicta lauerunt. Plus igitur Domine IESV, injuriis tuis debeo, quod redemptus sum; quàm operibus quod creatus sum.* Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. Ubi tandem homines erimus DEO grati, si hic ingrati sumus? ubi tandem exhibebimus corpora nostra ad Rom. 12. *hostiam viventem, Sanctam, Deoplacitam, si non ubi,*

pro

pro nobis VERBUM Caro factum est. O grande divini operis miraculum, Verbum Caro, & grande humanæ impietatis prodigium, post *Deum* factum hominem, homo, ingratus, aut impurus.

MODUS DECIMUS QUARTUS.

DUæ sententiæ Scripturæ quæ videntur contrariæ assumuntur & utraque explicata, quomodo sint intelligendæ, ac concordandæ, docetur subjectis pro Materiæ exigentia salutaribus monitis, illationibus &c. E. g. *Dominica* 3 à Pentecost. tractaturus super illa verba Lucæ 15. *Erant appropinquantes ad Iesum peccatores*, opponeres illis, edictum Sap. 14. *Odio est Deo impius, & impietas ejus*, & illud Psal. 44. *Dilexisti Iustitiam, & odisti iniquitatem.* Hinc consurget quæstio qui sint peccatores, quibus ad *Deum* pateat accessus? Scilicet, alij illorum sunt recedentes Ier. 17. 13. alij appropinquantes, de quibus Evangelium. Illi sunt odio, hi recipiuntur. Peccatum Theologis, est recessus seu aversio à *Deo*, & conversio ad Creaturas,

Receditur ab illo, passibus insensibilibus, Cogitationis, delectationis, Amoris: Sensibilibus, Verbi *Dei*, doctrinarum Spiritualium, rerum animæ. Acceditur verò, & appropinquatur passibus insensibilibus, detestationis de agnito errore, doloris de peccatis, proposito emendandi. Passibus sensibilibus, satagendo interesse Christi in suis fidelibus servis conversationi, audiendo verbum *Dei*, inquirendo de monitis Salutis quod coram Pharisæis Evangelici appropinquantes, implêsse videntur.

PRAXIS.

Feria 3. Paschatis. *Pax vobis* Ioann. 20. Luc. 24.

Contraria Sententia

Nolite arbitrari quia Veni mittere pacem, Matth. 10.

A*Ccessus & Propositio.* Regnum Christi in se divisum esse non potest: Cum ergò hodie discipulis ferat pacem & Matth. 10. protestatus sit, *Nolite arbitrari, quia veni mittere pacem*, meritò quæri debet: Quæ sit Pax, quam Christus discipulis, & cum illis, nobis offert? & quæ rursum, quam à nobis vult abesse.

Confir-

Confirmatio, ex Utriusque Pacis Explicatione.

De priori loquitur, D. Paulus ad Coloss. 10. inquiens. *Quia in ipso complevit, omnem divinitatis plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum.* Hic est finis, adventus & laborum Christi. Reconciliatio & pax hominum, cum Deo, unde & idem Apostolus ad Eph. 2. *Ille est pax nostra, quia fecit utraq; unum*, & rursum ad Rom. 5. Monet Christianos, *pacem habere ad DEVM*, quam descripturus D. Leo Ser. 3. de Nati: posteaquam Natalem Domini, Natalem pacis dixisset, addit. *Vera pax est à Dei voluntate non dividi, & ijs solùm, quæ Deus diligit delectari.* Conformiter Chryso: Ser. 138. *Pax Christi credentium corda custodit pax quæ charitatis fœcundis nutritur uberibus. Pax alumno fidei, pax quæ terrena cælestibus, & divinis humana conciliat.* Scilicet, inclinans hominem ut ea velit quæ Deus jubet, & nolit, quæ prohibet. Quomodo enim, loquitur citatus Pontifex Romanus, *Divinæ pacis particeps erit, cui placent ea quæ Deo displicent? Non est iste animus filiorum*

DEI, *nec talem ſapientiam requirit, adoptiva nobilitas.*

De poſteriore Iſa. 48. 18. *Non eſt pax impiis* dicit Dominus. In natali CHRISTI nocte, cum primùm ab Angelis, pax per Chriſtum proventura, denuntiaretur, eo pacto denuntiata eſt, quo prius requirebatur gloria Dei. *Gloria in excelſis DEO, & in terra pax*, Lucæ, 1. Quaſi diceretur, ſi mundus impenderit debitam gloriam Deo, merebitur obtinere deſideratam pacem hominibus, ſi hoc non præſtet, audiet, quod olim Iehu internuntio Ioram, reſpondit 4. Reg 9. *Quid tibi & paci?* aut, quod idem reſpondit, Ioramo interroganti, pax eſt Iehu? tum ille; *Quæ pax. Adhuc fornicationes Iezabel, Matris tuæ, & veneficia ejus multa vigent.* O quam multi ſunt! qui multis pariter cum ſuſpiriis, interrogare à ſe debeant: Pax ne eſt? tacet ne conſcientia? placatus ne Deus? amicum ne cælum? ſed & quam multi, qui meritò audiant. Quæ pax? adhuc fornicationes tuæ, adhuc ſuperbia, adhuc Luxuria vigent. Hi ſunt, qui vitijs merſi dum pacem in mundo & cum mundo habeant, plane

ſe

se beatos dicunt. At non quam mundus dat, Christus quoq; dat pacem: Ioan. 14. nec venit eam mittere, sed tollere: & gladium contra eam opposuit Math. 10. Ut illud generaliter ad ejusmodi pacem referri debent, quod D. Aug. in Psal. 149. de affinitatibus obsequio Dei obstantibus protulit. *Sermo Dei gladius bis acutus, unde bis acutus? dicit de temporalibus, dicit de æternis, Filius vult servire DEO, Pater non vult, Mater non vult: gladio dividuntur ab invicem. Vtiliter te ille separat, malè te conglutinas.* Ne existimes Christiane dum à mundi vanitatibus avelleris, pacem tuam turbari. Utiliter separaris malè te conglutinas. Pax tua quæ de mundo est, pax non est: periculis indormis, baratrum amas. Spartiatas ait D. Nazian. epist. 139. *lancea indicabat humerus Pelopidas: at Christianos, pax*, utiq; non mundi sed Christi, utiq; non quam venit tollere sed quam hodie est precatus. *Christus Iesus, heri & hodie* ad Hebr. 13. 8. Non potest, sibi esse contrarius: sed nec potest, mutari. Optat nobis pacem, sed suam, odit pacem, sed mundi, hoc est, optat bonum nostrũ, odit malũ nostrũ. MO-

MODUS DECIMUS QVINTUS.

DUo sensus contrarij ex eadem sententia eliciuntur: ut de ijs problematicè tractetur: pro conclusione autem aut decisio auditori relinquitur, aut ipse Orator decidit: & ad unam sententiam amplectendam hortatur, aut etiam, utramque partem tanquam rectam & probabilem amplectitur. Eodem modo tractatur simplex problema, quod ex occasione quidem Scripturæ proponitur, sed non habet fundamenta probationis, pro utraque parte, in assumpta scripturæ sententia E. g. si Dominica 22. à Pentec. ad illa verba. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari* proponas, Utrum Excellentior sit obedientia, qua obeditur ipsi Deo. An qua obeditur homini propter Deum? aut Dominica 23. à Pentec. ex occasione insperatæ mortis filiæ Principis inquiras. Utrum melius foret habere certam mortis horam, an illam manere incertam? Pro certitudine agit fere communis sensus optantium scire horam mortis, Pro incertitudine occurreret,

1. quia aperiretur sceleſtis porta ſcelerū 2. Quia non poſſet commodè mundus gubernari, in feudis, ſucceſſionibus, Magiſtratibus &c. 3. Quia etiam boni facile pertraherentur, ad malum, quod nunc incertitudine mortis vitant. Sed ſit principalis præcepti.

PRAXIS.

Dominica Sexta poſt Epiphaniam.

Simile eſt Regnum cælorum grano Sinapis. Matth. 13.

ACceſſus & Propoſitio problematica. Mirari quiſpiam poſſet, Servatorem noſtrum, ſub grani Sinapis ſimilitudine, Regni cælorum commendationem proponere noluiſſe: quod Sinapis abſterrendis potius hominibus à cælo, quam alliciendis aptior videatur. Ne interea, error huic admirationi ſubſit, inquiramus id ipſum, an cælum grano ſinapis comparatum, alliciendis nobis, aut deterrendis ſit aptius?

Confirmatio ex rationibus, pro utraque parte adductis.

Prima Pars. Videtur aptius abſterrendis. Acerbum enim illud ſit neceſſe; quod grano

grano Sinapis simile: quæ ex natura sua, acris & acerba est. Hinc D. Ambros. lib. 7. cap. 13. in Luc. Martyres granum sinapis vocat, quod multa acerba tolerârint, favet Apocal. cap. 7. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione.* Cælum quærentibus symbolum Tipotii assignaris: *Patiar, ut potiar.* Servator noster, cum discipulis valediceret, ita ijsdem promisit se paraturum locum, ut in mundo plorarent & flerent, Ioan. 16. quæ proprietas fruentium sinapi est: adeoque propria, quærentibus cælum, ut *lachrymas sibi fuisse panem die ac nocte, dum dicatur quotidie, ubi est Deus tuus?* testetur David. Psal. 42. v. 4. Exod. 22. *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere.* Hebr. legunt, *plenitudinem tuam, & lacrymarum tuarum.* Idem Deo lacrymæ & primitiæ: & sicut nefas negare primitias, ita & lacrymas. Christus Dominus lavit in cæna pedes discipulorum, suos non lavit. Quid ita? *Fortè*, inquit Ambros. lib. 6 in c. Lucæ 7. *ideò non lavit pedes suos Christus, ut nos eos lachrymis lavaremus.* An non hæc omnia tristia? an non grani sinapis, id est cæli acerbi effectus?

Se-

Secunda pars. Aptior tamen alliciendis ad quærendum cælum hominibus similitudo sinapis. Nam si acerbitas pro cælo sustinenda, non est nisi granum Sinapis, ut capiat regni opes? Est autem omnino ita, quod omnes acerbitates, quæ in mundo evenire possunt, comparatæ cælesti gloriæ, vix sunt unicum granum sinapis. *Primò* Propter exiguitatem sui. *Secundò* propter durationem amaritudinis, valde brevem, unde, D. Paul. ad Corinth. 4. *Id enim quod in præsenti est, momentaneum & leve tribulationis nostræ: supra modum in sublimitate, æternum pondus gloriæ, in nobis operatur, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Vis granum sinapis? Momentaneum & Leve tribulationis. Vis regnum cælorum? supra modum, in sublimitate, æternum gloriæ pondus. Expende singula & amaritudines vitæ, ne granum quidem æstimabis. Unde D. Chrysost. in Matth. homil. 16. *Tristaris, quia te corporis voluptate defraudo, sed lætare potius, quia cælorum regna tibi provideo.* quod ut evincat, sic rursus homil. 67. argumentatur: *Terrestre certamen, est tibi*

propo-

propositum, cujus corona in cælo reddetur. Ab hominibus exagitaris, at DEVS tibi honorem retribuet; paucis diebus curris; & æterna præmia consequeris: corruptibili corpore luctaris, & incorruptibili laudaberis. Expende item opposita & grani sinapis levissimam amaritudinem agnoscens, atque cum D. Gregorio Libro 5. Moral. fateberis: quod, *si mens forti intentione, in Deum dirigitur, quicquid in hac vita sibi amarum est, dulce æstimat: & omne quod affligit, requiem putat.*

MODUS DECIMUS SEXTUS.

Tota oratio, in Sectiones aliquot, seu paragraphos dividitur.

QVi quamvis in assumpta sententia immediate non includantur, occasione tamen sententiæ, ad illos fit progressus: & quamvis iterum ipsi se non inferant: habent tamen aliquam, ex vi Materiæ connexionem, ut aptè ex uno ad alios descendatur. Hoc modo tractat, P. Engelgraue suos sermones, & est unus modus, ex facillimis: E. g. Dominica tertia post Epipha-

Epiphaniam ad illa verba Salvatoris Matt. 8. *Volo mundare*, posses primò tractare de efficacia voluntatis divinæ: tum, de inefficacia voluntatis humanæ; ac postremò, quomodo voluntas humana in omnibus à Deo dependeat, voluntas autem divina in nulla re ad nostram voluntatem respiciat; solis actibus liberis, meritoriis præsertim, ac peccaminosis, exceptis.

PRAXIS.

Dominica 3. Adventus, Tu quis es? Ioan. 1.

ACcessus & Propositio. Interrogationem hanc qua Ioannem Hierosolymæ internuntii convenerunt: ad nos deinceps, potissimum convertendam, monet D. Bernar. libr. de Consid: ad Eugenium, inquiens. *A te incipiat consideratio tua; & in te finiatur. Tu primus tibi, & ultimus.* Iustum est ut sequamur tanti viri consilium, quod ipsum, alacrius ut præstemus, expendemus primò utilitatem reflectendi se. supra se: ut hac ratione, à nobis sæpius requiramus. Tu quis es? secundò Incommoda, quæ sequuntur, curiosam status alieni indagationem. Tertiò. Quem-

admodum reflexio ſupra ſe maximè ſit neceſſaria, dum occaſio virtutum *aut vitiorum urget.*

Confirmatio, ex Probatis ſingulis paragraphis.

I.

Utilitas reflectendi ſe, ſupra ſe.

INter graviſſima hominis negotia, numerari meritò poteſt illud, quod D. Ambr. ad Eccleſiam Vercellenſem ſcribens, nonnulli commendat. *Aſſueſce unus eſſe; ut vita tua, quandam picturam exprimat: eandem ſemper ſervans imaginem, quam acceperat.* Innumera ſunt quæ turbant hominem, & ſuo ſtatu dimovent. Rectè quidem Seneca Epiſt. 59. *Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus, ſupra lunam: ſemper, illi ſerenum eſt.* At quam benè ille loquitur, tam raro ab aliis præſtantur: nec præſtari ab ullo facilius poteſt, quam ab eo, qui à ſe ſæpius requirit: *Tu quis es?* id eſt, qui ſæpiùs reflectit ſe, ſupra ſe, ad Galat. 1. Miratur D. Paulus eorum mutationem. *Miror quod tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti: in aliud Evangelium:* ſed & mox cauſam ſubdit,

ſubdit, dum exclamat. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit, non obedire veritati, ante quorum oculos, Chriſtus proſcriptus eſt.* Hæc ergo cauſa mutationis Galatarum Chriſtus ante oculos proſcriptus, ſeu ab oculis relegatus, repulſus. Similem cauſam in quolibet cogitare licet, quem videas mutari; inchoare ſpiritu, conſummare carne: quod ſcilicet, ſe proſcripſerit, ab oculis ſuis, à ſui reflexione abiverit, deſciverit, non ſe noſſe voluerit: ideoque de ſtatu occupato deturbatus, jam unus eſſe deſierit, & alius à ſe ſit. Gloriatur in Domino Pſaltes Regius Pſalm. 118. v. 120. *De mandatis tuis non erravi*, id eſt, unus idemque ſemper, & in eodem ſtatu duravi. De quo tempore id credimus dixiſſe Davidem: An de omni intelligere, ex eodem ſic loquente licet. *Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus.* Cum in manibus animam David verſaret, cum ſe continuò conſideraret, de mandatis non erravit: & legem non eſt oblitus, poſteaquam alio oculos divertit 2. Reg. 11. *vidit mulierem ſe lavantem ex adverſo ſuper ſolarium ſuum*: atque mox Davidem

perdidit, peccatorem invenit, unde scriptura 3. Reg. 15. *fecit David rectum in oculis Domini excepto sermone Vriæ.* Pericles Atheniensium Dux apud Plutarch. quoties vestem indueret, his se alloquebatur. Vide quid agas, Græci sunt, liberi sunt, quos regis: imò, Athenienses sunt. Quam meritò similibus vocibus se Christianus sæpiùs alloquatur. Vide quid agas, quid sis? Christianus es, à Christo nomen ducis, an & mores? Reflexio talis, sine magno commodo præterire non posset. Sed ô infidelitas! inquit Bern. ubi supra: *Novi hoc genus monstri, cuilibet, quemq́ velle consulere: non tamen sibi:* cum interea

Gravia incommoda curiosam alienorũ morum inspectionem sequuntur. Inde scilicet suspiciones, inde judicia temeraria, inde detractiones, fæcundissimè pronascuntur. Lex Locrensium fuit, quod si quis peregrè reversus, interrogaret: Num aliquid novi? pæna grandi multaretur. Nobis, si Deo placet, semper nova indagantibus, nulla ab humanis legibus pæna intentatur: at ubi culpa non deest, pæna quoque deesse non potest. Quis ruinam Petri in

Domo

Domo Caiphæ non doleat? Verum quis etiam, ruisse eum propter curiosam rerum indagationem non dicat? nimirum quia atrium principis erat ingressus, non tam ut Magistro suo patienti condoleret, quàm ut rei eventus notaret: Advertit id D. Iustinus de triumphali CHRISTI agone inquiens. *Fortasse ideò corruit, quia non ut pugnaret, sed ut finem videret, accessit.* Etiam cum minimè speramus, curiosa aliorum inspectio præcipites nos agit. Servator noster cum à vitio curiositatis reprimeret Matth. 7. & Lucæ 6. trabem primùm de oculis nostris eijciendam, antequam festucam de alienis tolleremus, monuit, *festuca turbat*, inquit. Aug. hom. 16. de verbis Domini, *trabs extinguit* sed nunquid unusquisque, qui festucam adimere cupit, trabem gerit? utrumque Salvator conjunxit, quia ut plurimum, dum aliis festucam adimimus, trabem attrahimus: levia pro gravibus condemnando; & alieno peccato, in nos damnationem provocando. Eubatici pisces, igne ad littus posito in arenam evocantur & capiuntur. Ita curiosi, cum ad ignem, alienos mores

prodentem, evocantur: peccato in prædam cedunt. B. Ephrem. dicebat. *Ego duos oculos habeo. Vnum quo DEVM, alterum quo me specto: tertium: quo aliorum errores videam, non habeo.* O verba, Altissimo pectori inserenda! sed minimum illa valent, apud illos centoculos, imò mille oculorum, homines, de quibus Proverb. 17. *Stultorum oculi, in finibus terræ.* Verè stultorum, quia cum fines orbis peragrant, damna sua non notant, quæ religiosè sugillans, Petrus, Abbas Clarevallensis, cum oculum unum perdidisset, interrogatus, qui valeret? respondit. *Vnum de Inimicis evasi, & à residuo, magis quàm à perdito formido.* Oculis id curiosis meritò attribueris, hostibus animæ, & prædatoribus crudelibus dominorum suorum. Curiosus nemo, nisi malevolus dixit Plautin. & Cyril. *Diaboli Evangelistas, curiosos nominavit.* Dixeris & asseclas, ejusdem, sic de se Iob. cap. 2. loquentis. *Circuivi terram. Et perambulavi eam.* Explicat Origenes. *Circuivi terram, in circuitionibus iniquitatis, & speculans transitu subito, quid agatur in animis. En circuitiones* curiosorum!

forum! ex subito transitu, & inspectione operum levi, judicia de constitutione animi formantium. Eximiè D. Chriso. Ser. 139. de oculo corporali loquens. *Oculus, visum videat, non invideat, prospiciat non despiciat. Oculus sit animæ fenestra, speculum sit mentis; membrorum sit dux; non introitus vitiorum.* Tales & animorum oculos, necesse procuremus: quales debent esse corporum, nisi nostri immemores, dùm aliena sectamur illud Cant. 4. audire velimus. *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, abi post vestigia gregum.* Origen. & Ruper. legunt: *Si stulta es, fias capra in capris,* id est, stultior fias, & alienis moribus pereas.

III.

In occasione vitii fugiendi, aut exercendæ virtutis, maximè necessariã supra se reflexionem.

Vide quid sis, & scies, quod agere debeas: vilitatem tuam considera si superbia extolleris: dignitatem, si infimis deprimeris. Clemens Alexand. lib. 1. Pædagog. Cognitionem sui, *omnium scientiarum Magistram appellavit.* Rectè illa enim docet Philosophiam quid agere deceat, illa

Theologiam, quod tam sublimi scientiæ competat: illa deniq́ue omnes scientias, convenientibus instruit præceptis & moribus. Philippus Macedo quotidie ad virtutis vigorem conservandum, ab Ephebis audire voluit: *Hominem te memineris.* Aliquando etiam, cum victoriis elatus à virtute ad arrogantiam desciret: à Legato Persarum monitus, *Metire umbram tuam, & ne digito majorem, quàm antea invenies:* sibi, & virtuti restitutus est. Ejus etiam filius Alexand. cum ad cursum à coætaneis invitaretur: Regiæ conditionis memoriâ, juveniles impetus repressit: atq́ue non nisi æmulis Regibus, id certaminis se initurum respondit. Generosissimè adolescens Spartanus captivus apud Plutar. ad libertatis tutelam sui nominis & generis dignitate exurrexit: atque exclamans identidem, *Spartanus sum, liber sum, non serviam:* capite eliso, servitutis dedecus vitavit. Basilisco simile est vitium. Huic si speculũ opponas, à sui conspectu rumpitur. Speculum mentis, cognitio sui est. Si vitio opponatur, rumpatur necesse est scelus. Mirabili ordinatione, constitutum, ut mon-

monſtra in tenebris terreant, interdiu, vix aut nunquam appareant. Monſtrum Stygium, Vitium eſt. Odit lucem, & fugit. At lux, intellectus & cognitio ſui eſt. Unde ubi Pſalm. 18 dicitur. *Intellectum tibi dabo:* S. Ephrem & D. Ambr. legunt. *Lucem tibi dabo.* Ad hanc reſpexit Ioſeph Patriarcha. Gen. 39. cum impiæ Dominæ veſaniam ſtatus ſui memoriâ reprimeret, *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo ſua. Quomodo ergo poſſum facere hoc malum, & peccare in Dominum meum.* Ad hanc reſpexit Eleazarus, recuſaturus eſum carnium, idolis immolatarum, de quo 2. Machab. 6. *At ille cogitare cœpit, ætatis ac ſenectutis ſuæ, eminentium dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem,* & mox, verba ejus ſequuntur: *Non enim ætati noſtræ convenit fingere.* Ad hanc reſpexit præter innumeros D. Baſilius 1. Ianuar. in ejus vita, qui cum à Præſide Modeſto, nimium immodeſtè de Zeloziſſimis reſponſis argueretur: dicente Præſide: *Nemo mecum tanta audacia egit,* reſpondit: *Quia in Epiſcopum non incidiſti,* eoque reſponſo, & ju-

& judicis audaciam repressit, & virtutem constantiæ defendit. Ænigma, Græcis à Theodeco, propositum fuit, quo referebat, habere se domi filiam, quæ in infantia magna esset: ætate adulta minima, ætate extrema maxima: Umbram ille intellexit, quæ manè latè sternitur, meridie fere nulla est, vespere maxima. Nos Christiane interpretemur: In luce cognitionis sui nulla vitiorum umbra subsistit, manè in ætate ignorante, dum minimè nos respicimus, latè spargitur: at latissimè vesperi, quando per neglectum sui, oblivio sui comparatur. Vitanda talis maxime umbra, ut vitetur vitiorum *negotium*, *perambulans in tenebris* Psalm 90. & amanda lux, ut sicut filii lucis in virtute ambulemus: omninóque danda fides D. Bernardo monenti, quod *Præstat scire teipsum; quam si te neglecto siderum cursus, vim herbarum, & omnium cælestium & terrestrium naturas tenueris.*

MODUS DECIMUS SEPTIMUS.

Dicere hunc meritò possim commentatorium;

tatorium: Talem etiam censere videtur A. R. P. Claudius Aquaviva, in sua de Concionatoribus epistola. Est autem quando propositio præfixa, continua serie testimoniorum ex S. Scriptura aut Patribus desumptorum firmatur: nec plus ferre ingenio aut arti conceditur, quam recitatio locorum. Duo in hoc genere tractandi vitanda. Alterum ne quæstionibus multum subtilibus, & apicibus verborum nimium inhæreamus, alterum, ne continuò testimonia obtrudendo, eaque inexplicata transeundo, nihil persuadeamus. Utendum igitur testimoniis, pro contentando intellectu: ac inde, ad movendam voluntatem progrediendum, ut sua orationi non desit commodatio.

PRAXIS.

Dominica 2. post Epiphaniam.

Nondum venit hora mea Ioan. 2.

A*Ccessus & propositio*, quod universaliter asserit D. Aug. in Psal. 82. *Cum aliquando DEus tardius dat, commendat dona sua non negat*, Id hodie specialiter impletum. Quamvis enim videri alicui possit, negâsse Divæ Matri postulata Servator,

vator, illis verbis *Quid mihi & tibi mulier?* Omnino tamen non negâsse Christum, sed commendâsse, differendo sua dona, probat hæc sententia. *Nondum venit hora mea*: id est. Faciam, sed non nisi præfixo tempore, ne discat à primo miraculo mundus, nihil apud Deum temere casuq; agi: sed omnes eventus statum præfixumq;, ab æterno tempus habuêre. Hanc igitur veritatem, valde utilem certius roboremus.

Confirmatio, debet constare, testimoniis scripturæ, aut Patrum, aut utrorumq;, quæ omnia probent à DEO destinato tempore fieri.

4. Reg. 4. Confidentibus simul Principibus exercitus Israelis, adest insperato unus de Prophetis, & evocato separatim Iehu, effundit supra caput illius oleum, ac mox abit. Insano, inde similis, dictus ab aliis, quid causæ apud Iehu habuerit, interrogatur, eaque intellecta mox tumultuariè, Iehu in Regem eligitur congestis in similitudinem tribunalis, paliis. Quis non crederet quàm fuerunt hæc subita, tam fuisse casu facta? At ex prædestinatione certa

certa eventuum & temporum evenisse, testatus post occisum Ioram Regem, ipse Iehu, inquiens. *Memini quod Dominus levaverit onus hoc super eum. Nunc ergo tolle, & proijce eum in agro.* Et de Iesabel à canibus consumpta. v. 36. *Sermo Domini est, quem locutus est, per servum suum Eliam*, observandum autem est, quod legitur in textu Chaldæo, fuisse electum Iehu ad gradum horarum seu ad horologium solare, Quid hic misterii? Dicam non dubius. Novus Rex, ad horologium eligitur; ut intelligat, regnorum etiam fortuitorum tempora; ad statas certasque horas apud Deum dirigi. *Isai* 18 *Ite Angeli veloces, ad gentem convulsam, & dilaceratam.* Felices terras, talibus dignas tutelaribus. Sed quando illæ eorum obtinent tutelam? Scilicet. Cum tempus à DEO destinatum venerit. Unde Hebræa legunt. *Ite Angeli veloces ad lineam, ad lineam* qua scilicet, in sole, horæ certæ designantur, & de quibus 4. Reg. 20. *Sol recessit decem lineis.* Esther. 10. vidit Mardocheus, Somnium grande ac portentosum: & surgens de strato cogitabat, quid Deus facere

vellet,

vellet, nec intellexit nisi in tempore, quod Deus illi somnis implendo, jam antequam fieret, designaret, quod sic ipsemet, proponit VII. *Venit utraq; sors, in statutum ex illo jam tempore diem, coram DEO universis gentibus: & recordatus est Dominus populi sui.* In græco, sic legitur. *Et venerunt sortes hæ ad horam & tempus, & ad diem judicii coram DEO.*

Ituro Christo in Iudæam dicũt discipuli. *Nunc quærebant te Iudæi lapidare.* Ioan. 11. *& rursus vadis illuc?* Ad quæ Saluator, *Nonne* 12. *sunt horæ diei?* id est stata sunt rerum omnium apud Deum tempora, & nihil temere timendum: nihilq; alia hora eveniet, quam ea quæ illi eventui præfixa est: quemadmodum nec mors Servatori toties intenta, obvenit. Nisi illa hora quã ab æterno fuisse statam, designans Ioan. 17. *Sublevatis in cælum oculis, dixit, Pater venit hora, clarifica filium tuum.*

Quid multa congerimus? statos esse dies, & tempora vitæ, testatur Psalmus 38. in quo David, *mensurabiles posuisti dies meos*, statam esse fortunam Psalm. 30. in quo idem. *In manibus tuis sortes meæ,*

statos

ſtatos eſſe regnorum caſus Apoc. 18. *Væ, væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis, quia una hora venit judicium tuum,* ſtatas eſſe Principatuũ ſuſcitationes, Daniel. 8. *Vsquequo viſio? Et dixit ei usque ad veſperam & mane, dies duo millia trecenti,* ſtatam eſſe impiis indulgentiam. Matt 13. *Sinite usq; ad meſſem,* ſtatam eſſe hoſtium Eccleſiæ pænam Apoc. 6. 10. *Et dictum eſt ut requieſcerent tempus modicũ, donec compleantur conſervi eorum.* Decet igitur cum D. Auguſtino palam profiteri Solil. 37. *Apud te Domine, omnium ſtabilium, ſunt cauſæ, & omnium mutabilium immutabiles manent origines, & omnium rationabilium, & irrationabilium atq; temporalium, ſempiternæ vivunt rationes:* tùm, illud ſinceræ Philoſophiæ dictum, alto corde figere. *Noſce tempus.* Fugax illud ô homo Chriſtiane eſt, & cum fugit, te ſecum rapit. Noſce tempus; Inconſtans eſt, & cum mutatur, mutat. Noſce tempus; Breve eſt, & æternitate immenſa ac tua clauditur. Noſce tempus. Inſuper, certis & ſtatis, horis, caſibus, eventibus, apud Deum determinatum eſt, Noſce tempus,

Est hora qua Deus vult aduersis probari, Nosce tempus, ne infidelis inveniaris, est hora, qua te vult alloqui; Nosce tempus, ne auribus surdis & corde indurato desecraris. Est hora qua vult converti. Nosce tempus, ne cum particuala bonæ diei prætericrit, in posterum, gratia efficaci indignus judiceris.

MODUS DECIMUS OCTAVUS.

COnficitur ex Thesi & Hypothesi: quando scilicet, primum in genere & uniuersaliter, de aliqua materia tractatur: tum in specie, sive in particulari. Potest autem, hac ratione sermonem instructurus duplici modo procedere: aut in Exordio Thesim tractando & hypothesim, confirmandam proponendo: aut utrumque pro confirmatione assumendo. E. g. Dominica 11. à Pentec. ad illa verba Matthæi 7. *Apprehendit eum de turba seorsum*, tractari posset primò generaliter. Turbam semper esse conversantibus incommodam. Unde Sapiens, *Quoties inter homines fui, semper*

semper minor redii. Secundò particulariter. Illis tamen potissimum, gravia incommoda tandem adferre, qui volunt à vitiis curari. Hos oportet cedere de turba cum hoc surdo. Unde de electis, Is. 32. *Et erit vir, sicut qui absconditur à vento, & cælat à tempestate.* Cant. 8. *Fuge dilecte mi.* Idem docuit Dominus in suscitatione filiæ Principis Matth. 9. Nam *cum ejecisset turbam*, intravit, & tenuit manum ejus & dixit. Puella surge; sancta sanctorum, qualis anima Deo placens, debent oppandi velo. Exod. 26. Similiter Dominica 12. à Pentecost. ad illa verba, *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis.* Luc. 10. posset primò Orator, generaliter agere. Quod, post ascensum Christi ad cælos, adhuc Beati multum sint oculi fidelium, qui vident in signis & cæremoniis sensibilibus, Christi Domini expressionem & repræsentationem, Nam ejus Majestatis & Potestatis, imago est visibilis vicarius Christi. Sapientiæ, admirandus ordo Ecclesiæ. Bonitatis; Receptio pænitentium. Prædicationis, Concionatores, Cultûs divini, & Sacrificii in cruce oblati: Altaria, & vera

in iis Sacrificia, diversissimarum denique gratiarum, valde multiplices & sanctæ cæremoniæ, quibus mortua fides hæretica caret. Secundò, Ageret de speciali Beatitudine oculorum ex eo proveniente quod usurpent species, sub quibus, verè, ac realiter Christus D. existit.

PRAXIS.

Dominica 7. post Pentecost.

Attendite à falsis Prophetis qui veniunt in vestimentis ovium Matth. 7.

ACcessus & Propositio. Quid est quod Servator & Magister noster non jubeat attendi ad falsos Prophetas, qui veniunt in furore leonum, in dentibus luporum, sed in vestibus ovium? Nimirum docet nos periculosiores esse occultos, quam apertos inimicos, præsertim in particulari, cum inimici habentur pro amicis.

Confirmatio constat, ex Thesi & Hypothesi. Thesis

Periculosiores occulti quàm aperti inimici.

In promptu causa ex V. Beda. *Malus, ubi se simulat bonum, ibi est pessimus* & vetus monitum clamat. *Anguem in herba*, venenum si palam propinetur quis sumat?

Hostis

Hostis si palam invadat, quæ musca non se fuga, aut morsu vindicet? Diu aperto Marte Abner & Ioab decertavêre 2. Reg. 2. Victus Abner, sed non peremptus. Assumpta deinde à Ioabo simulata fides 2. Reg. 3. *Adduxit tum Ioab ad medium portæ ut loqueretur in dolo, & percussit illum in sanguine & mortuus est.* Scribit Tacitus Lib. 12. Mithridatem invictum bellis plurimis, concessisse tandem ut cum Adamisto filio Regis Hyberi pacisceretur, à quo in templum pellectus, cum fædus ex more gentium pacturus, manum vinciendam porrigit; Adamistus decidisse vincula ex manibus simulat, & se inclinans Mithridatis genua invadit, eumque sternit. Sic invictus ab hoste aperto, cadit ab occulto. Verissimè pro his, ac innumeris D. Cyp. in Epist. *Plus timendus, & cavendus inimicus, cum latenter surrepit.* Huc referas illud Davidis Psalm 67. v. 9. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum, in vaccis populorum.* Id est, da occasionem hosti latenti, & experieris quod qui latebat tanquam vipera contempta, sub arundineto: efferascet: ut taurus lasciviens ac mu-

giens, ut excludat patientiam, etiam probatam: & cogat Dei opem inclamare, ac dicere: *Disperge illos qui bella volunt,*

Hypothesis.

Tunc maximè periculosi occulti inimici, cum habentur pro amicis. De his Chrys. conformiter ad sensum Evangelii. *Multa ovium vellera, innumeri ubiq; lupi sub his occultati: ut jam inter hostes tutiùs aliquis vixerit, quàm inter eos qui vocantur amici.* Quid ita? Cum dicitur, *Eamus, faciamus, pudeat non esse impudentem,* D. Aug. Confes. 3. cap. 8. Quid ita? *quicquid inimicus optaret, amantes vovent.* 6. de Benef. Seneca. Quid ita? *omnis amicus dicit, & ego amicitiam copulavi, sed est amicus, solo nomine amicus,* Eccl. 37. *Nonne tristitia inest usque ad mortem* D. Volfrangus, quòd Aldericum nepotem amâsset æquò magis, in morte exclamavit. O utinam non nosŝêm Aldericum, cui quoniam æquo magis afficiebar, non sinor ingredi cælum, impunitus. O si liceret, morientibus omnibus, talia liberè profiteri! quam innumeri exclamarent. Utinam non nôssem hunc amicum, illam amicam, hunc

hunc pædagogum, illum puerum: quos quia æquò magis amabam, non ſinor introire in Regnum cælorum. Monet ergo Sapiens Proverb. 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuosq; greges conſidera, non enim habebis jugiter poteſtatem, ſed Corona tribuetur, in generationem & generationem.* Hebræa legunt: *An corona in generationem & generationem?* Nota interrogationem? An? & à te ſæpiùs require. An pecus quod intueris, an vellus amicitiæ, ſit tibi in coronam? Nam niſi ſit, hoſtes & lupi ſunt, non amici, nec oves, quamvis vellere amicitiæ tegantur.

MODUS DECIMUS NONUS.

EX occaſione ſenſûs Evangelii, aſſumitur locus alterius ſcripturæ ex veteri teſtamento, aut ex Epiſtolis Apoſtolorum, qui ſenſui Evangelii illuſtrando aut explicando conferat. Totus deinde ſermo, aſſumpto loco innititur, atque conformiter ad argumenti exigentiam perficitur E. g. in Feſto S. Mariæ Magdalenæ, eximiè

posset tractari locus Isa. cap. 35. *Et quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius Dracones habitabant, orietur viror calami, & junci. Et erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur.* Similiter Dominica 16. Post Pentec. ad illa verba Luc. 14. *Et observabant eum*, posset tractari illud Psalm. 11. *Impii in circuitu ambulant.* Tres enim circulos, observatores facere consueverunt. Primus est, Ineptæ curiositatis, qua circumeunt omnia, ut imitentur illum, qui dicit Iob. 1. *Circuivi terram.* Secundus, supervacaneæ investigationis. Postquam enim in observationibus suis diu luserint, à suspicionibus egressi, in eadem ferè desinunt, & intra eas remanent. Tertius est damnosæ illationis. *In quo enim alium judicas, te ipsum condemnas* inquit D. Paulus ad Rom. 2. Sic

PRAXIS.

In die Sacratissima Circumcisionis D.N.I.C. *Vocatum est nomen ejus IEsus.* Lucæ 2.

ACcessus & Propositio. Dubium non est, sanguinis hodiernam, in CHRISTO effu-

effusionem, maximis in genus humanum beneficiis exundâsse. Hoc ipsum, sacratissimo nomine IESU, significandum, olim à Spiritu Sancto est edictum, cum Cantico. 1. 2. per sponsam diceret: *Oleum effusum nomen tuum.* Insistamus igitur nostris solatiis, ut quæ beneficia hodie in nos promanârint, ab hoc oleo effuso, id est nomine IESU, discamus.

Confirmatio, constare debet explicatione sententiæ: *Oleum effusum &c.*

D. Abbas claræ vallis, cum hæc verba, *Oleum effusum nomen tuum.* Ser. 18. expendit, & cum illis Isa. 9. *vocabitur nomen ejus admirabilis*, confert, sic egregiè utraque componit. Vocabitur inquit nomen ejus admirabilis, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. *Primum, tertium, quartum majestatem sonant, reliqua pietatem. Quid horum ergo effunditur? profectò Majestatis ac potentiæ nomen, in id quod est pietatis, transfunditur abundè per Iesum Christum Salvatorem nostrum,* quibus verbis D. Doctor clarè significat, Oleum effusum esse nomen IESU, quia nomen hoc sacrosanctum, ostendit infini-

tam Dei in nos pietatem, verissimè profectos, sed ut pietas hæc apertiùs pateat, triplex potissimùm, Olei effusio revocanda. Oleo sanantur vulnera Ierichontini peregrini, *Luc.* 10. Oleo providetur extremæ viduæ pauperis necessitati. 3. *Regum* 17. Oleo inaugurantur Reges, David, Salomon, Iehu & alii. O salutarem effusionem! O nobilem piissimi nominis Iesu significationem! *Oleum effusum nomen tuum Iesu*, effusum ad nostram sanitatem, effusum ad nostræ egestatis opulentiam, effusum ad nostræ debilitatis robur, & humilitatis exaltationem.

Iacebat magnus ægrotus, id est mundus, juxta D. Aug. Et cum tamdiu jaceret Is. 1. 6. *Vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata, medicamine, nec fota oleo*, donec *DEVS noster, Deus salvos faciendi* Psal. 67. descenderet in mundum, & vocatum nomen ejus Iesus, Oleum verè effusum, nomen istud, ad curanda nostrorum peccatorum vulnera, quemadmodum explicuit Angelus. *Vocabis nomen ejus Iesum, ipse enim salvum faciet omnem populum*. Matth. 1. *à peccatis.*

Quare

Quare B. Cyryl. Ierof. Cath. 10. dicit, nomen Iesu, ex Græco, significare medicũ: quandoquidem, ut ibidem subdit *& corporum est medicus, & animorum* & D. Epiphan. Hæref. 29. inquit, Iesus in Hebraïa lingua, Curator appellatur, aut medicus & Salvator. Sed pijssimè ac mellifluè Bernar. Serm. 15. in Canti. O nomen benedictum! O oleum usquequàque effusum! Quousque? de cælo in Iudæam, & inde in omnem terram excurrit? tum pergit. *Ecce Christus: ecce Iesus, utrumq; infusum Angelis, utrumq; effusum in homines: & illos homines, qui computruerant, tanquam jumenta in stercore suo: homines & jumenta salvabis, quemadmodum multiplicavit misericordiam suam.*

Nec sufficit pietati divinæ, oleo hoc, curâsse nostra vulnera, quin subveniretur egestati. *Verè pauperes facti sumus nimis* *Psalm* 78. cum donis gratiæ & spe cælesti, per admissa scelera privati, extrema egestate premeremur: sed oleum effusum nomen Iesu, de quo ipsa veritas: *Si quid petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis* Ioan. 14. Expende liberalitatem

promissionis. *Si quid*, non restringit, non arctat promissa. Aude, & pete in nomine Iesu; nihil non obtinebis, quanquam sæpè, à te per idem nomen petens pauper, ne obolum obtinet. Ad rem nostram Paulus 2. ad Cor. 8. *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis.* Quid est hoc dicere; nisi dicere, oleum effusum nomen ejus, ad ditandam nostram inopiam: Unde iterum citatus Bernar: ad illa verba Psalm. 21. *Sicut aqua effusus sum*; *Effusa est*, inquit, *plenitudo divinitatis, habitans super terrâ corporaliter: ut de illa plenitudine, omnes qui corpus mortis gestamus, acciperemus.* Et Philo Carpati. ad id Canti: Oleum effusum. *Hoc est nomen illud effusum, summa charitas, ardentissimus amor Creatoris, ad creaturam. Mortalis venit, ut nos semper pateremur: mortuus est semel, ne nos in perpetuum moreremur.* Licet, licet vere omnibus D. Ambr. affectu exclamare. Lib. 2. in Luc. *Maluit sibi egere, ut omnibus abundaret! Oleum effusum nomen ejus.*

Deni-

Denique, oleum effusum nomen ejus ut essemus, *Gens sancta, Regale sacerdotiũ.* 1. Petr. 2. 9. *hæredes DEI, cohæredes autem Christi,* qui audire mereamur, *Possidete Regnum* Matt. 25. attollimini de terra ad cælum, de imo ad summum ut collocemini *cum Principibus, cum Principibus populi sui* 112. *Ille in præsepibus,* ait D. Ambr. in 2. *Luc. ut tu in altaribus, ille in terris, ut tu in cælis: ille altum locum in diversorio non habebat, ut tu plures haberes in cælestibus mansiones. Sic,* pergit Hilari: lib. 2. de Trinitate. *Humilitas ejus, nostra nobilitas est, contumelia ejus, noster honor est, quod ille est Deus in Carne consistens, hoc nos vicissim, in Deum ex carne renovati.* Quod olei effusio, seu unctio, significaret in Christo dignitatem Regiam, explicans ep. 140. D. Hier. Sic ait. *Qui typum illius prætulerunt, & regnandi consortes dicti sunt, oleo corruptibili sunt inuncti. Hic verò filius DEI, à DEO Patre oleo exultationis, hoc est resurrectionis, Ascensionis, dominationisq; est delibutus,* Nil obstat, quo minus per accõmodationem, sensum verborum ad nos convertamus,

mus, & intelligamus, nos in Regnum Dei, oleo effuso ſanctiſſimi nominis Ieſu, tanquam oleo exultationis, Reſurrectionis & Dominationis immortalis unctos, ut grati tantæ dignationis, & exaltationis, iteremus cum D. Apoſtolo ſæpiùs Ap. 1. 5. *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos Regnum, & ſacerdotes, Deo Patri:* Ipſi, gloria & imperium, cujus nomen oleum effuſum, in ſæcula ſæculorum.

MODUS VIGESIMUS

INterdum, non ſententia tantùm alterius loci tractatur: ſed totum caput, aut Pſalmus, intento Evangelii & explicationi accommodatus: ut ſi de immaculata Deiparæ Conceptione dicturus, aſſumas Pſal. 36. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis;* aut de Reſurrectione Servatoris & Domini noſtri. Pſal. 2. *Quare fremuerunt gentes &c.* aut de Aſcenſione Pſalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis &c.* Praxes ejuſmodi expoſitionis habentur paſſim in Pſalmis, unde ejus Exemplum

vix est necessarium. Nihilominus pro more sit brevis

PRAXIS

Dominica I. Adventus.

Videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna Luc. 21.

A*Ccessus & Propositio.* Cum qua potestate, ad judicium se venturum Servator noster, præfixis verbis insinuat; eam ut mundo certiorem faceret, multò ante, servis suis manifestavit. Habet pius animus, quod stupeat, omnes autem, quod timeant: Si de illa, Isaiam, Ezechielem, Ioëlem, aliosque Prophetas audiant. Ego unum ex illis Habacucum scilicet, hodie ad vos, de illa loquentem, produco, cujus verba tantò diligentiùs expendere debetis, quantò magis omnium interest, timere nunc à judiciis Domini, ne in ipso judicio timeamus.

Confirmatio ex Expositione Cantici Habacuc.

DEUS inquit ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan. Quot verba, tot potestatis magnæ indicia. Nam si Deus veniet,

veniet, quis ei comparabitur? si Sanctus, quis eum arguet? Ab *Austro verè veniet, & de monte Pharan*: Auster meridiem significat, & tempus maximi in sole ardoris. Tunc scilicet accēdetur velut ignis Zelus Dei, & *dies veniet* Malach. 4. *succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem quasi stipula: & inflammabit eos, dies veniens, ait Dominus exercituum: adeo, ut non relinquātur in eis radix, neq; ramus*. De monte quoq; Pharan veniet: Pharan significat divisionem, apud Lauram, quam sanctus ille, & justus Deus faciet: Separando improbos à probis, innocentes à reis, afflictos à cruciatibus, tempus ab æternitate, homines à Deo. Quod ut gloriosissimè præstet, *operuit cælos gloria ejus*, stipantib⁹ undequaque Dominum, Angelorum Exercitibus, *& laudis ejus plena est terra*, quam innumeri illi comites occinent, læti de gloria Domini sui. Tantum enim abest, ut de interitu impiorum tristentur: ut potiùs de justitia DEI gaudeant: & contra impios, simul cum Domino suo armentur: quæ omnia expressit David Psalm.

Psalm. 149. *Exaltationes DEI in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorũ. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum, in manicis ferreis. Vt faciant in eis judiciũ conscriptum, gloria hæc est, omnibus sanctis ejus.* Heu peccator? Heu miserande? Quò te tunc vertes tot gladiis stipatus, tot compedibus territus, cum insuper teste D. Anselm. de similit: *A dextris erunt peccata accusantia, à sinistris dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper judex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens.* Quid inter hæc spectacula non terrificum? Vincit tamen omnia terror judicis, ideoque *splendor ejus ut lux erit.* Quis splendor, & qualis lux? de quibus nimirum Apocal. 20. 11. *Vidi thronũ magnum candidum, & sedentem super eum à cujus conspectu fugit cælum & terra, & locus non est inventus eis. Cornua in manibus ejus.* Audiant qui exaltant cornu suum, & loquuntur adversus Deum sublimia; venturum tempus, quo cornua eorũ apprehendantur à potentia Dei & confringantur:

gantur: atque cum cerebro elidantur: Gloriaris de oppresso paupere, Cornua exaltas. Gaudes timeri ab omnibus. Cornua exaltas. O bos cornute? O bestia immanis, quàm cæco impetu ageris? Erit, erit tempus, quo videbis cornua tua in manibus, potentissimi ultoris scelerum tuorum & tutoris orphanorum. Benè etiã intelligitur per hæc cornua, crux sanctissima, quam judex pro sceptro assumet, aut certè quæ ante thronum ejus constituetur, & tunc *ante faciem ejus ibit mors* in hoc signo triumphata, & *egreditur Diabolus ante pedes ejus*, virtute Passionis CHristi, conculcatus. *Stetit, & mensus est terram. Aspexit & dissolvit gentes.* Quæ inde prodigia? stetit, mensus est, aspexit, nondum condemnat, nondum fert sententiam & jam montes dehiscunt, colles curvantur, aquæ diffugiunt, scinduntur rupes, cælum supplicat, infernus gemit. Ita statim Propheta. *Et contriti sunt montes sæculi, incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.* Et iterum *Viderunt te, & doluerunt montes, gurges aquarum transiit, dedit abyssus vocem suam, altitudo*

manus

manus suas levavit. Hæc est potestas magna in Evangelio insinuata, hæc virtus altissimi, quam ratio humana non capit, sed fides probat. *Stetit, & mensus est terram:* ut omnibus constaret, Domini esse terram, & plenitudinem ejus, & confunderentur impii, vana spe temporalium successuum illusi, arguente cujuslibet conscientia: ubi nunc inanes? ubi fixa in terris fiducia? si vestræ sunt opes, cur illas non retinetis? si vestræ divitiæ, cur vos ab extrema egestate non vindicatis? *Aspexit & dissolvit gentes*, ut impleatur quod dictum est, per Ioëlem cap. 2. v. 6. *A facie ejus cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam.* Duplex vultus, gravissimè homines confundit, & duplex maximè terret. Confundit, vultus testis, crimen palam evincentis; & vultus, benefactoris offensi: Terret vultus Principum in Majestate sua; & vultus judicis sententiam in reum ferentis. Talis erit vultus Domini, super facientes mala. Convincet apertè; exprobrabit ingratitudinem inexcusabiliter. Idem erit testis, judex & vindex, quid ni dissolvantur gentes à vultu ejus? sicut
 dissol-

dissolvitur nix, sole incalescente; ut pate. at diu tectus fimus immunditiæ, avaritiæ, & quorumvis occultorum peccatorum. Fiet id equidem, & factum videns propheta, quod, *incurvati sunt colles ab itineribus æternitatis ejus*: humiliati superbi, & qui ab hominibus pro sanctis & justis adorabantur, jam patentibus sceleribus in terram depressi videbuntur. *Sed nunquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus, aut in mari indignatio tua?* Aquæ multæ, populi multi; flumina labentia, gentes ut nives dissolutæ. Heu! nihil juvat hic misericordiæ invocatio: *In fremitu conculcabis terram, & in furore tuo, obstupefacies gentes.* Hebræa: *In furore, triturabunt gentes*, cujus triturationis esse potest Exemplum David. 2. Reg. 12. *qui circumegit super eos* (id est Ammonitas) *ferrea carpenta, divisitque cultris, & traduxit eos in typum laterum.* Obstupescant gentes, super tantam Mitissimi Domini severitatem, & si saluti suæ consultum volunt, assumant salutarem, Prophetæ nostri timorem: qui de se, versu primo, hujus Cantici, ait: *Domine audivi*

auditionem tuam, & timui & rursus, eundem timorem prosequens: *Audivi, & conturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea.* Hic enim timor salutariter admissus, efficiet, ut tandem homo ad Deum planè conversus, cum cælum ac terra turbabuntur, *ficus enim non florebit; &c.* & putredo ingressa in ossibus ab ira Dei non abscondet, dicere possit confidenter: *Ego autem gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Jesu meo, Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum: Et super excelsa mea, deducet me victor in psalmis. Canentem.*

MODUS VIGESIMUS PRIMUS.

Dogmaticus sive doctrinalis, quando ex toto Evangelio, doctrinæ variæ, quæ eodem includebantur, eruuntur, atque explicandæ probandæq; assumuntur. Modus hic, est unus ex facilibus. Ornatur autem & formam sublimiorem sumit, si doctrinæ, non simpliciter proferantur, sed

per modum Axiomatum, graviumque Sententiarum producantur: E. g. si Dominica 21. à Pentec. Matt. 18. doceres 1. facillimè ab hominibus, ingentia apud Deum debita contrahi: cui sermoni præberet occasionem debitum talentorum. 2. Eadem facillimè pariter à nobis posse exsolui; quod posset deduci, ex facili venia Domini, ad illa verba, *Patientiam habe*, concessa. 3. Ex alieno ære posse nobis succurri, cujus veritatis occasionem daret, ipsa pæna servi; qui si cum conservo indulgenter egisset, eò ipsò apud Dominum veniam constantem meruisset; quemadmodum è contra, sua in conservum crudelitate, effecit, ut indulgentiâ obtentâ indignus judicaretur.

PRAXIS.

In Festo Visitationis B. V. Mariæ.

Exsurgens Maria abiit in Montana, Luc. 2.

ACcessus & Propositio. Plenum instructionibus salutaribus Evangelium: vix expedit, alicujus doctrinæ compendio stringere. Igitur in plura salutis monita illud partiamur.

Con-

Confirmatio per adductas, quas Orator elegit doctrinas.

Prima doctrina: ubi DEUS ibi nihil arduum. Hæc elicitur ex verbis primis Evangelii. *Exſurgens MARIA abiit in Montana.* Ardua hæc D. Virginis cenſenda via, tum quia humana iudicia, egreſſui obſtare poterant: tum quia fatigationem difficilem ipſum iter ferebat. Ratio eſt primi, quia ab hominum converſatione, ab infantia amota Virgo, ſoliqúe DEO & Angelis ejus cognita, ſenſu & re id ſibi indixerat, quod de quadam Abbatiſſa dictum refert, D. Antoninus. *Virginem, gemmam eſſe in concha.* Ratio ſecundi. Quia montana tranſitu ſunt difficilia, in quibus tamen nec quievisse, nec reſediſſe legitur, ſed Exſurgens tranſiviſſe, ſcilicet à Deo impulſa, qui, ubi adeſt nihil arduum eſt. In hunc ſenſum, Thomas à Kempis, *ſuaviter equitat, quem Dei gratia portat,* Et Cant. 2. *Ecce iſte venit, ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Conſiderent id potiſſimum illi, qui ad vitam piam aut ad pœnitentiam, à Deo vocati, montes ante ſe fingunt: & inſuperabiles, aut hominum

respectus, aut viæ spiritualis progressus, judicant, O si Deo sisi, ad meliorem frugem sincerè converterentur! quam facilè experirentur, quod ubi Deus, ibi nihil arduum? quam confidenter cum D. Hieronymo in Epist. ad Heliad. inclamarent. *Quid agis frater in sæculo, qui major es mundo? quamdiu te, tectorum umbra premit: quamdiu fumosarum urbium carcer includit. Crede mihi, nescio quid lucis aspicio. Licet sarcina corporis abjecta, ad purum ætheris evolare fulgorem.*

Secunda doctrina, ubi Deus, ibi salus, ex illis verbis. *Et salutavit Elisabeth*, Semel tantùm legitur Deipara Virgo, salutem dixisse: nec ante, quàm utero gestaret Deum. Ubi Deus, ibi salus. Idem discimus ab Angelo Gabriele, qui ex cælesti instructione, non aliter dixit D. Virgini *Ave* quàm cum diceret, Dominus tecum. O quot Christiani, salutem aliunde, quàm à Deo expectant? Ideoque merentur, ut in illis quoque sententia Eliæ Lib. 4. Reg. cap. 1. robur obtineat. *Nunquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron. Quamobrem*

hæc

hæc dicit Dominus, de lectulo, super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Quot iterum? qui cum salutes sibi propinant, salutem perdunt. Rectè Socolovius noster in Quæstore. *Rarus apud nos quondam usus vini fuit, idq; statis temporibus, & apud paucos, magno fructu & emolumento vitæ longæ & sanæ mentis: nunc vulgatissimus, qui ad caulas usq; & stabula pervenit. Ita, erectum est magnificum temulentiæ tropheum, exhaustæ opes.* Pariter dixeris. *Exhausta salus.* Nam ut Athen. Lib. 2. Epichar: dicit, frequentissimè, *ex sacrificio epulum, ex epulo potatio, ex potatione comus, ex como ludus, ex ludo Iudicium, ex judicio condemnatio.* Tertia Doctrina. Ubi Deus, ibi Iubilatio. Ex verbis Elisabethæ D. Virginis & exultatione infantis in utero. Et, quæ hæc felicissima solennitas: Christus intonat, Mater Virgo occinit, Elisabeth benedicit, Ioannes in utero salit & de utero exilire conatur! O felices, qui hoc gaudio de DEO replentur! O Miseros, qui aliunde solatia sua, quàm à DEO quærunt, cum verum gaudium ibi solùm inveniatur, ubi DEUS

adeſt, de quo D. Auguſt. Confeſſ. cap. 40. *Eſt enim gaudium, quod non datur impiis, ſed eis qui te colunt, quorum gaudium, tu* ipſe (DEUS es) *Et ipſe eſt Beata vita, gaudere ad te, de te, propter te, ipſa eſt, & non altera.* Et iterum. *Et aliquando intromittis in me affectum, multum inuſitatum, introrſus ad neſcio quam dulcedinem: quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit, ſcio quod vita iſta non erit.* Tarantula, ſpecies aranei eſt, teſte Alex: ab Alex: quem ſi quis deglutiat, geſtit, ſalitque, tam diu, ut inter ſaltus, vitam ſæpè exſpiret. Talia ſunt profectò gaudia hominum ſæculariũ, quod inter ea, vitam & ſalutem perdant. Ubi Deus ibi Iubilatio ad vitam eſt, quia & Ioannes vitam per uteri materni pulſum quærit, & Deus ipſe eſt, in quo vivimus, movemur, & ſumus. Quarta Doctrina. Ubi Deus, ibi Deificatio, ex verbis D. Matris *Magnificat anima mea Dominum,* de quibus D. Bernardinus Senen. Tom. 3. Serm. 6. *Beatiſſima Mater DEI, plena Spiritu Sancto, & tota in Deum transformata, jubilando dixit decem jubilationes.* Unde & idem Canticum, *Pſalterium deca*

chordum

chordum appellat, ad quod David respexit, cum diceret: In Psalterio *decachordo psallam tibi*. At nota illa verba. *In Deum transformata*. Nota, & Cantici significationem, ac verbum Magnificat, significans actum laudis præsentem, & continuum. Hinc disce Magnificare Deum, ut DEO dignus sis, & quodammodo Deificeris. Proverbium Polonorum est. *Non corrigito Magnificat*, significans, laudes per illud DEO perfectissimas, perfectissimè impendi. Unde etiam, omni jure, meritus Horatii laudem, Matthias Sarbievius, in præceptis Lyricis, probat, eundem hymnum omnibus numeris Pöeticis esse absolutum. Mutare mihi liceat proverbium, aut imitando illud, dicere. Ne corrumpas Magnificat. Est qui occinat, magnificavit, non magnificat: corrumpit. Est qui occinat, Magnificabit, itidem corrumpit. Magnificat, occinitur, ubi Deus & Deificatio intercedit: & quidem Magnificat anima, non lingua, non labium. In Spiritu enim & veritate, adoratur Dominus, cui perpetua ac indefinens laus debetur in sæcula.

MODUS VIGESIMUS SECUNDUS.

PRæfixa themati propositione, ferè totum Evangelium ad illam propositionem revocatur, quæ & si secundùm se videatur singularis; totius tamen Evangelii doctrinas comprehendat B. G. Dominica 5 à Pentecost. Matthæi 5. dicturus supra illa verba. *Nisi abundaverit justitia vestra, plus quàm scribarum, aut Pharisæorum &c.* posset proponere, inquisiturum se; quænam sit hæc abundantia, à nobis per Christum requisita, & responderet Evangelio 1. Esse illam, quæ non ad sola facta, sed & ad cogitationū custodiam, se extendit. Nam ait Dominus, *dictum est antiquis non occides &c. Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* 2. Esse illam, quæ se extendat, ad Custodiam verborum. *Qui dixerit fratri suo, Raha &c.* 3. Esse illam, quæ se extendit ad opera liberalia, per quæ læsi lædentes prævenimus, quia dicitur; *Si frater habet aliquid adversum te,*

relin-

relinque ibi munus tuum ante altare. &c. atque hac ratione totum Evangelium, sub dicta propositione, explicaretur.

PRAXIS.

In Festo S. Mariæ Magdalenæ.

Remittuntur tibi peccata tua Luc. 7.

A*Ccessus & propositio*, Nemo est nostrum, dubio procul, qui non cum magna animi delectatione, fortunatam hanc Servatoris sententiam, Magdalenæ gratuletur. *Remittuntur tibi peccata tua*, & nemo est, qui non sibi similem optet. Eveniet omninò cuilibet, cui vera pænitentia, obvenerit. Ne igitur nos fraudemus die bono, & spe optima, inquiramus hoc sermone, quid sit verè pænitere; & hoc, exemplo Magdalenæ perdiscamus.

Confirmatio debet constare sparsis in Evangelio exemplis Pænitentis Magdalenæ.

Quid itaque est verè pænitere. *Ideò* primò verè Pænitere, est mox atque à Deo te vocari sentis, ad eum, à peccatis converti. *Hodie si vocem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra.* Monet Psal. 94 Chri-

94. Christus de sepulchro manè diluculo, ita peccator de peccati tumulo. Procul infaustum cras, procul dilationes. Ita egisse, D. Magdalenam notant illa verba Evangelii. *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset, attulit alabastrum unguenti.* Non distulit, nec prætendit occasionis incommoditates, sed ut cognovit de Christo, confestim se ad illum placandum proripuit. Heu quàm facilè hic decipimur: *paululum* inquit Sapiens Prov. 6. 10. *dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias, & veniet quasi viator egestas.* Hinc de latrone quòq; in cruce converso D. Cyril. apud Garc. dis. XCVI. 13. *Rogo te, in finem vitæ protrahis pænitentiam ad exemplum latronis? Falleris frater. Nam latro non in fine, sed in principio est conversus, nam tunc venit, cum vocatus fuit,*

Quid rursum est verè Pænitere? respondeo, verè pænitere, est ita peccatum detestari, ut omnia impedimenta conversionis, & omnes respectus ab eo avocantes, ex nunc damnentur, & pervincantur.

Id item apparet, in exemplo Magdalenæ, de qua D. Greg hom. 33. *Super convivantes ingressa est, non jussa venit, inter epulas, non erubescit.* Quis dubitet obstitisse illi fervori conversionis, verecundiam muliebrem; malorum amicorum occurrentia blandimenta, voluptatum & carnis pavores, hominum ostentationes ac irrisiones, pænitentiæ agendæ rigorem. Vicit hæc omnia Magdalena, & pænitentibus verè prælusit, ut omnia discant præ DEO contemnere: opes, amicitias, voluptates, humana judicia, ipsiusq; vitæ pericula: generoso illo & Christiano animo, cujus etiam exemplum pulcherrimum proponit nobis D. Nazian: infamatoria prima in Iulianum, in nonnullis Christianis; qui donativum à Iuliano accipientes, thus adoleverant ignari fraudis, qua illud, in ignem inijcere jussi. Hi deinde à domesticis moniti, cum dolum advertissent, primùm attoniti, mox zelo candescentes, ac per forum discurrentes, clamabant, *Christiani, Christiani animo sumus, Audiat omnis homo & præ omnibus Deus cui vivimus & morituri sumus. Imperator nobis imposuit,*

cujus auro sumus vulnerati. Emendabimus Imperatorem, sanguine expurgabimus. Mox ad Imperatorem conversi. *Non dona Imperator accepimus, sed morti sumus adjudicati: non honoris causa sumus vocati, sed planè ignominiâ donati. Gratiam tuis concede militibus Christo consignatis, cujus solius subsumus imperio. Pro igne, ignem retribuere, pro cinere illo, in cinerem nos redigito, manus quas malè porreximus detruncato, nec non pedes quibus perversè cucurrimus. Alios auro tuo honora, quos accepisse non pœniteat, nobis satis est Christus.* O generosa Pectora! O Paucis cognitam pænitentiam! Hoc demum est pænitere, omnia præ Deo contemnere.

Quid tamen insuper est verè pænitere? Respondeo verè pænitere, est post animũ sincerè ad Deum conversum, post omnia pænitentiæ impedimenta sublata, post omnes respectus humanos contemptos, post lacrymarum maria effusa, se indignũ gratiâ DEI judicare. Egregiè Salvian: describens pænitentiam Davidis lib. 2. de guber. *Agnoscit reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pænitet, gem-*

gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpurâ exuitur, diademate exhonoratur, cultu & corde mutatur, totum Regem cum ornatu suo abjcit. Quid inde? quis animus, quæ confidentia virtutis Davidi? Clamat sæpius ac præsertim Psalm. 50. *Averte faciē tuam à peccatis meis. Tibi soli peccavi. Peccatum meum contra me est semper*, & alibi multoties. Sic pænitere, est verè pænitere, sic pænituisse hodie censenda D. Magdalena, quæ post tam insignem conversionem, in qua juxta D. Greg. in Luc. 7. *Quot in se habuit oblectamenta, tot de se, invenit holocausta*; indignam tamen se gratiâ & aspectu Domini sui judicavit, ideoque stans retrò secus pedes ejus, Lacrymis cæpit rigare pedes ejus. O Magdalis? O peccatrix piissima? Quid ita parum audes? Nunquid adhuc ignoras, quem placas? Hic est, Pater ille amantissimus, qui filio ad se converso, pectus, non pedes obtulit, hic Servator, ille benignissimus, in cujus pectore Ioannes, hoc est gratia, quam tu per remissionem peccatorum es assecuta, recumbit. Cede nobis pec-

peccatoribus pedes, tibi pectus, tibi vultus, tibi labia dilecti patent. Frustra cadunt verba, & pedes petit, & à retro tanquam indigna petit. Ubi sunt illi impudentes, ubi illi pænitentes? qui nihil obstare, quò minus ipsi DEO assistant, aut assideant, dum modo leviter pectus tangant, dum os operiant, existimant. Non est hæc, non est, verè pænitentia. Vera pœnitentia, semper humilis est, semperque locum illum quærit, in quo Magdalena peccatrix, meliori sorte, quam olim, Ruth ad pedes Booz, mulier virtutis apparuit.

Quid denique est verè pænitere? Respondeo. Pænitentiam inchoatam constanter retinere, & peccata quorum etiam venia certa est, continuò plangere. Ita egit Magdalena de qua ipse Servator. *Osculum mihi non dedisti, hæc autem non cessavit osculari pedes meos*, inter lacrymas scilicet, & continuos planctus. Unde, & à Christi resurrectione rigidissimam pænitentis vitam, in Eremo ad mortem egit: quamvis ter in singulos dies, Angelicis cantibus recrearetur. Placet inventio pictorum, quâ passim, D. Petro gallum

occinentem appingunt, & Magdalenam non aliter, quàm ad pedes Christi crucifixi, aut inter pœnitentiæ insignia, cilicia, disciplinas statuunt. Monemur inde, ut siquis cum Petro, Christum aliquando negavit, semper ab inde, gallum, admissum crimen exprobrantem obaudiat: & quanquam claves regni cælorum, in manibus collocatæ videantur, lacrymas tamen fundere continuas non desinat. Monemur pariter, ut siquis cum Magdalena deliquit, à pedibus Christi nunquam recedat, pœnitentiam nunquam deserat. Sed illud Psal. 6 gemebundus iteret. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis, stratum meum rigabo.* Hebr. legunt. *Fatigatus sum gemendo, & suspirando totas noctes: lacrymis meis stratum meum immergam seu natarefaciam.* Propriè, *putrefaciam, dissolvam.* Super quæ D. Chrisost. Homilia 32. in Epist. ad Hebr. *Quod una die, admissum fuerat peccatum, post tot annos, post tot generationes, tanquam quod recens accidisset, deflebat.* Sic pœnitere, est verè pœnitere. Sic Magdalena pœnituit. Sic pœnitere debent, qui

remiſſionem peccatorum expectant. Cæterum inquit Bernar. Serm. 3. in Cantic. *Si dixerit mihi IESVS: Remittuntur tibi peccata tua, niſi ego peccare deſiero, quid proderit?* imò ut addit idem. *Erit ſine dubio, recidenti quàm cadenti pejus.*

MODUS VIGESIMUS TERTIUS.

Eſt expoſitorius, aut explanatorius, quando ſententia aliqua Evangelii, aut alterius ſcripturæ habens ſenſum involutum, ac incertum exponitur: Oſtendendo, quis illius germanus ſit ſenſus. Porrò, aut ſenſus ille quem proponimus, ſolùm vulgo ignotus eſt, neque habet alios ſibi oppoſitos: aut non ſolùm eſt ignotus, ſed & oppoſitos patitur. In primo caſu ſatis eſt explanare germanum ſenſum, confirmare, amplificare. In ſecundo poſſunt etiam alii ſenſus, & interdum debent citari; ut illis refutatis, noſter magis innoteſcat. Inter ſententias huic explicationi conducentes, poſſet eſſe illa D. Paul. ad Hebræos 5. *Crucifigentes iterum filium Dei in ſemetipſis.*

ipsis. Alia enim, & vulgi rationem superans, est item illa. *Cognosco oves meas* Ioan. 10. Ambiguitatem enim parit, de qua cognitione sit sermo, quando nihil fugit scientiam DEI: nec dubium esse potest, quod sit sermo de cognitione practica DEI, de qua Incertus Tit. 3. Biblioth. PP. hic. *Cognoscere, Domini diligere est. Vnde, & in judicio dicturus est quibusdam. Amen dico, Nescio vos, alioquin qui omnia scit, quomodo ignorare aliquid potest.* Nota illud, *cognoscere, diligere est*, & disce sensum, similitudine Parentum, filios dilectos, & exosos, hac voce distinguentium. Meus est hic: Hunc alium nolo eum Psalm. 79. *Qui deducis velut ovem, Ioseph*: Non de hoc solùm plaudit Psaltes, quia Dominus ducit, velut ovem Ioseph: sed quia deducit: quod est idem, quod cognoscere oves, quia cognoscere diligere est, quod rursum Psaltes notavit, quando edixit, *Quia novit Dominus viam justorum, & iter impiorum peribit.* Psal. 10. Itaque, *securè pascant oves Christi, licet pastores sui, eas derelinquant, in necessitate: licet substantiam temporalem non illis tribuant,*

sed in aliorum usus convertant: tamen D. Iesus Christus verus Pastor, diliget eas, & vitam æternam dabit D. August. Tit. 3. bibli. in serm. Haimonis.

PRAXIS.

Feria tertia Pentecostes.

Ego veni ut vitam habeant & abundantiùs habeant. Ioann. 10.

ACcessus & propositio. Illustre hoc est, de Christi Domini in nos liberalitate testimonium; sed, qua ratione nobis abundantiùs vitam impertiatur, non satis, primâ fronte notum, imò quasi paradoxum. Expendamus igitur hanc beneficentiam diligentiùs, ut ad gratitudinem animemur abundantiùs.

Confirmatio, debet constare expositione, germani sensus ejusque probatione.

Quod anima est corpori, hoc DEVS animæ, dixit verissimè Augu: eò, quòd gratiam Spiritus Sanctus infundat in corda fidelium, quæ est principium & radix vivendi divinè, animæ. Illa enim movet animam ad rectè operandum, illa facit actio-

actiones dignas anima & Deo, illa animæ vita est, qua siquis vivens in ipsa morte corporis invenietur, vivet iterum, vita gloriæ in æternum. Proinde, duplex est vita, de qua verba Christi Domini: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*, sunt intelligenda: vita gratiæ qua vivit anima per Deum, & vita gloriæ, qua vivet per Deum, in Deo, cum Deo, æternum videndo, amando, gaudendo, & quidem

Quod ad vitam Gratiæ venit Christus, ut eam abundantiùs habeamus: quia per ejus adventum, Et facilior peccatorum, quæ tollunt vitam, remissio est reddita, ut sic vitam, cum volumus arripiamus; & copiosiora multò quam ante auxilia, ad illam acquirendam fovendamque allata. Sunt quidem qui obmurmurent, faciliorem fuisse, reditum ad Deum olim, ac proindè faciliùs vitam gratiæ acquiri potuisse. Scilicet nihil requirebatur, nisi vera cordis contritio, nunc autem accessit confessio, in qua non leves difficultates obveniunt. Hic sensus & ignavus, & rudis est. Ignavus quidem; quia in rei pretiosissimæ, qualis

 est

est salus, & vita animæ, curâ, minimos labores æstimat. Rudis, quia non satis, & capit, quid vera contritio ferat, quæ si adesset, in publicam etiam peccatorum confessionem, cum Magdalena rueret. Parvum verbum contritio, sed grande ejus mysterium, Quis nôrit? Utrum dicat, Peccavi cum Davide, aut filio prodigo? an cum Saule, aut Antiocho? quis certus sit, se in contritione odisse peccatum super mala omnia, & moveri ad ejus odium propter Deum amatum super omnia? non verò immisceri dolori timorem DEI se punientis, aut amorem sibi prosperantis, aut periculum vitæ à DEO ob peccata tollendæ, quæ & similia, tollunt perfectionem contritionis, & solum faciunt attritum: ac proinde illos actus, non sequitur justificatio, nec vita animæ. Vis hic gratiam experiri Christi, atterere & confitere, & ecce actus, qui non sufficiebat vitæ reddendæ, faciet te, cum Sacramento, ex attrito contritum, & vitam, indubitatè restituet, ut docet Tridentinum. D. Thomas in tertiam Partem, Metaphoram Contritionis & Attritionis, à rebus quæ conteri

conteri solent; ait sumptam. Age; quid facilius? conteri; v. g. Saxum & in cineres redigi, an solum atteri? Saxum & petra durissima; est cor peccatoris. Conteri illud omni modè opus erat; ut in vitam animaretur: nunc atteri satis est; quia Christus venit; ut vitam per eum habeamus; & abundantius habeamus.

Quanta verò; ejusdem abundantia accessit, ex auxiliis vitæ; acquirendæ fovendæque; legi veteri ignotis? Crediderim equidem motiones voluntatis, & lumina intellectus; vocationesque omnimodas frequentiores à Christi adventu fidelibus communicari; sed ne aliquis id incertum velit; fontes beatissimos ac publicos, vitam & gratiam fundentes; cogitemus. Sacramenta; scilicet à Christo Domino in Ecclesia instituta; gratiæ dum non obstemus, ex opere operato immediatè causativa: quorum nulla habuit lex vetus; sed solùm Ceremonias & ceremonialia & aut ait Apostolus ad Hebr. 10. *Vmbras futurorũ bonorum* D. Bernard. huc alludens; Ser. 2. in Cantic. legem Moysis aut Moysem, comparat Giesi; cum baculo ad suscitan-

dum filium Sunamitis misso: cui vitam reddere minimè potuit. Unde inclamat, *Sequatur Dominus nuntios suos, quia sine ipso possunt facere nihil: misit puerum, tulit baculum, & nec dum est vox neq; vita. Non surgo, non suscitor, non excutior de pulvere, non respiro in spem: si non propheta, ipse descendat, & osculetur me osculo oris sui.* Vox hæc Bernardi, vox totius humani generis olim fuit; qua, tractus clementissimus Dominus, de cælis venit, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Celebratur apud Senec. lib. 9. de Clem. Augusti beneficentia, quod Cinnæ proditori suo propinaverit, inquiens. *Vitam tibi Cinna iterum do, prius hosti, nunc insidiatori, ac parricidæ. Experiamur utrum ego meliori fide vitam dederim, an tu debeas?* O quantò major; magna etiam hac liberalitate, nostri Servatoris! qui non jam semel ac iterum, sed toties nobis vitam per Sacramenta proponat? Quoties dignè illis uti volumus, possumus, quamvis non rarò in eum sæviamus, qui seipsum, vitæ nostræ nutrimentum esse vult, ut meritò exclamat D. Chrys. Homil. 61. ad Antioch.

Hei

Hei mihi, quot ad salutem nobis viæ! Nos corpus suum effecit, nobis suum communicavit corpus! Hoc est vitam velle dare, & abundantius dare.

Quoad vitam gloriæ. Venit item Christus ut eam abundantius habeamus. Quia, & ingressus ad eam, quotidie patet, & electio ac salus æterna, ad plures quam in lege veteri refertur. Ad Hebr. 9. *In secundo* inquit D. Apostolus, *tabernaculo, semel in anno solus Pontifex introibat, non sine sanguine. Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo, habente statum. Non enim decorum erat,* pergit Primasius ad Gal. 3. *aut milites qui sub vexillo Christi in veteri testamento stipendia meruerant, ante ducem triumphare: aut prius membra quam caput, cælesti gloria exornari. Sanguis igitur Christi,* inquit Hier. epist. 129. ad Dardan. *clavis paradisi est dicentis ad latronem, Hodie mecum eris in paradiso.* Et à Christi ingressu, patuêre duodecim cæli portæ Apoc. 21. ne una quidem clausa: cum ne una, ante hac, fuerit aperta, quæ etiam versus omnes

orbis partes patent, ut vitam homines habeant; & abundantius habeant, & salus cujus spe gloriabantur soli Hebræi totius orbis habitatoribus pateat. Apoc. 7. audit de cælo D. Ioannes; numerum signatorū; *centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel.* O vitæ æternæ parcam possessionem! Hem nos! si tam pauci censeamur. Absit: venit Christus ut vitam habeant, & abundantius habeant; ideoq; addit D. Ioannes. *Post hæc vidi turbam magnam; quam dinumerare nemo poterat; ex omnibus gentibus, & populis; & linguis stantes ante Thronum, & in conspectu agni.* Certe 88. Martyrum; sub solo Diocletiano; invenies vicies centena millia. Singulis enim mensibus per 10. annos occidebantur 17. millia. In lib. 3. D. Brigittæ legitur; solùm Romæ quolibet die anni; posse celebrari 7. millia Martyrum. Et eodem lib. c. 17. dicitur *Si mensurares terram 100 pedum in longitudine; & totidem in latitudine; ut seminares eam puris granis tritici; quodlibet verò granum; daret fructum centuplum; adhuc essent plures Martyres, & Cõfessores,*
Romæ

Romæ à Sancti Petri tempore; usq; ad Cælestinum. Iubilet ergo Deo omnis terra; & apud se unus quisque & expendat; quàm irrationabile & insanum; vitam quam per Christi gratiam abundantissimam licet habere; sponte sibi detrahere; ac imminuere.

MODUS VIGESIMUS QVARTUS.

MEminit illius Sixtus Senensis Bibliothecæ suæ cap. 2. & P. Carolus Regius Societatis nostræ lib. de Inventione Orationis Sacræ: quando tota concionis supellex, desumitur ex concordantiis scripturæ hoc modo, ut dicturus Orationem, assumpto subjecto sententiæ; vel prædicato; vel utroque percurrat in Concordantiis similia verba; item Synonima; ac etiam adversa; factaque reflexione ad suum intentum; ex historiis; & sententiis per Concordantias insinuatis colligat in unum; quæ ad rem faciunt: eliciendo rei assumptæ; definitiones; causas; effectus: aut advertendo; ad circumstantias; quis; quid; ubi. Sic enim; copiosa; non poterit non colligi,

colligi, dicendi materia: qua in forma orationis, pro suo placito disponet. Dicam quod sentio. Modus hic suggerendæ materiæ est aptus, sed prudentiâ judiciosâ indiget, ne verba secuti, multa ineptè congeramus, atque cum de re plurima dixerimus, ad rem nihil dicamus: & tædii laborisq; multum adfert, cum sæpè, innumera verba examinanda se offerunt. E. g. si die Paschatis, triumphale illud Evangelii præconium accipiam *surrexit* longissimæ centuriæ verborum erunt decurrendæ, sub dictionibus, surgo, resurgo, exurgo, & synonymis harum inclusæ: tum verò ad ordinem aliquem revocandæ. Certum tamen interea sit, etiam plurium concionum materiam, hac ratione, simul suppeditari posse. Nam, si examinem in Concordantiis *surrexit* inveniam surrexisse Barac. Iud. 14. 4. adversus Sisaram: dicente Deo. *Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Deus Sisaram in manus tuas*, unde cum gloriosè prostravit; & iterum audivit v. 12. *Surge Barac. & apprende captivos tuos*, 1. *Reg.* 17. *Cum surrexisset Philistæus, festinavit David, & cucurrit*

ad

ad pugnam. 16. *Iudicum*, *Dormivit Samson ad mediam noctem, & inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus & sera, impositasque humeris suis, portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron.* En materiam ex quæstione, quomodo surrexit? sufficientem Orationi. Similem dabit Circumstantia Quis, nam si quæram, qui soleant surgere? dicuntur in scriptura, surgere primò humiliati, juxta illud Psal. 119. *De Torrente in via bibet propterea exaltabit caput.* Nam exaltabit, est synonymum verbi surget, & Psal. 19. *Surreximus, & erecti sumus.* Secundò, *Afflicti* Psalm. 126. *Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.* Et 1. Esdræ 9. vers. 4. *In sacrificio vespertino, surrexi de afflictione mea*, Tertiò, *Qui dormierunt*, unde & de Christo Propheta Psalm. 3. 2. *Ego dormivi & soporatus sum, exurrexi.* Quartò *succursuri alienis malis* Exod. 9. *Surge, & descende citò, quia peccavit populus &c.* quæ omnia & singula, satis aptè serviunt Servatori, humiliato: afflicto, surgenti, si rursus adhuc reflectam. Ad quid, surgitur? legam Gen. 44. jussum surge-

ſurgere famulum Ioſephi Patriarchæ, ut voluntario, & pio dolore, vocarentur fratres Patriarchæ, quorum conſortio & maximè Benjamini, frui prius frater volebat. Num. 16. 15. Surrexiſſe Moyſen, & abijſſe, ac populum abduxiſſe, à Dathan, & Abiron; ne abſorberetur cum illis. Exodi 24. v. 24. ſurrexiſſe eundem, ut aſcenderet montem, in quo eum operuit gloria Dei. Ioſ. 17. Surrexiſſe populum ut plecteretur peccatum Achani. 2. Eſdræ 2. Surrexiſſe Eſdram, ut provideret Hieroſolymæ dirutæ. 2. Reg. 3. Surrexiſſe Abner, ut congregaret populum ad David. 4. Reg. 7. Surrexiſſe Eliſæum ut ſuſcitaret Sunamitis filium; qui fines, valde commodè flecti ad Chriſti reſurrectionem poſſunt; & multi ſimiles ac potiores, ex plurimis reſtantibus locis deduci, ſicut & ex aliis circumſtantiis ac reflexione ſupra locos Dialecticos, eorumque ad ejusmodi dictiones applicatione. Unde ſit & mihi ex reſtantibus.

PRAXIS.

In Feſto ſolemnitatis Paſchalis

Surrexit Marci 16.

Acceſ-

ACcessus & Propositio. Quando Angelus felix faustumq; *Surrexit* intonat; quando tota Ecclesia, lætè illud ingeminat, æquum est ut nos quoque idem cum gaudio promamus. Ut autem tanto promptius Cor linguæ consonet, quid læti, quid fausti, hoc lætum faustumque *Surrexit* ferat, tantisper expendamus.

Confirmatio deduci debet ex occasione dictionis *Surgo* in scriptura variè applicatæ.

Primum itaque, quod felix faustumque *surrexit* intonat, est victoria Christi, & triumphus de hostibus de quo Psalm. 67. *Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus, & fugiant omnes, qui oderunt eum, à facie ejus.* O quàm frustra fremuerunt gentes! & quam inania meditati sunt populi! Ecce surgit quem occisum voluerūt, & dissipat inimicos suos. Ubi mors victoria tua? ubi stimulus tuus inferne! fugit Mors; victus infernus, dissipati custodes sepulchri, dissipata consilia Iudæorum, dissipata infidelitas gentium. Triumphus planè est, ait Hilar. lib. 10. de Trinitate, *sepeliri mortuum, sed resurgere DEUM:*

Secun-

Secundùm hominem, pro nobis omnia infima pati; sed secundùm Deum, in his omnibus triumphare 2. ad Corinth. 5. *Et si cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Quid ita Beatissime Doctor? Nimirum, in resurrectionis victoria & triumpho, *Absorpta videtur in Deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia,* loquitur Bern. sermone de verbis Apocalypseos, signum Magnum, *sed quod affectio Deificata. Tenuit* scilicet juxta D. Leon. S. 18. de Passione, disposita *mansuetudo patientiam, & cohibita famulantium sibi Angelicarum virtute legionum, hausit calicem doloris & mortis* : sed jam, pergit idem, *Totum supplicium, transtulit in triumphum:* & illum quidem triumphum, in quo solo, auditum sit, *surrexit,* cum antiquis triumphatoribus, mors potiùs occineretur, à monitore triumphatori inclamante: *Memento te hominem, id est ex scripturæ sensu quia pulvis, es & in pulverem reverteris.*

Alterum, quod *surrexit* felix, feliciter intonat, est, Christum surrexisse, ut nos surgamus. Iudi. 7. ait Dominus ad Gedeon:

Surge

Surge & descende in castra; quo cum descendisset, audita narratione somnii roboratus. *Surgite* inquit ad suos, *tradidit enim Dominus in manus nostras, Castra Madian*: sicut excitatus Gedeon, excitavit suos: sic surgens Christus surgere vult nos, de quo Apostolus Eph. 5. *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Duplex autem resurrectio à nobis requiritur. De veteri homine, ad novitatem vitæ, & de humilitate spei, ad spem vivam Resurrectionis, ad Roman. 6. *Quomodo Christus surrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Expectantes utique illud tempus, quando, *exultabunt ossa humiliata* Psal. 50. In *momento* scilicet, *in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti* 1. ad Cor. 16. Quod si quæris cum D. Chrysost Ser. 103. *Quæ est ista tuba, quæ inferis infert bellum, sepulchri resolvit moles, intonat mortuis vitam, resurgentibus in lucem, perpetim dat triumphum!* audies cum eodem, & ab eodem. *Tuba quæ in principio mundum vocavit ex nihilo, ipsa in novissimo, M un-*

dum revocabit ex perdito; & quæ initio, hominem suscitavit ex limo; ipsa in fine, hominem resuscitabit ex pulvere. Credamus ergo, *quod Crux, corporis nostri sit aratrũ: fides semen, sulcus sepulchrum, resolutio germen, expectatio tempus; ut cum ver Dominici adventus arriserit; corporum nostrorum matura tunc viriditas, vitalem resurgat in Messem; nescituram jam finem, nescituram canitiem, non passuram falces, nec flagella sensuram. Ibidem Chryso.* Tertium quod *surrexit* felix, feliciter intonat, est *surrexisse* Christum, ut & mortuis, & vivis dominetur ad Rom. 14. O Regnum felix & augustum! felix; quia Princeps hujus mundi, ejectus foras, & nos, qui filii antea tenebrarum, nunc filii lucis, & qui servi peccati, nunc liberi in CHRISTO. Augustum; quia nullis clausum terminis, nullis interceptum spatiis, ut in nomine Iesu omne genu flectatur. Canutus Angliæ Rex, apud Chok. in Politic. cum à suis, salutaretur Dominus terræ ac maris, jussit se ad littus tumescentis maris deferri, cumque mari imperaret, ut à tumore desisteret, illud autem insolescere pergeret. En

inquit;

inquit; *quàm vanè me Dominum maris dicitis: cui illud obtemperare renuit.* Piè omnino ac verè, nec aliter de reliquis dominiis, dicerent Domini; si quam parum imperio valeat, cogitarent. Non ejuscemodi diminuto jure, sed pleno ac perfecto, surgit Christus, *ut Dominetur vivis, & mortuis*, atque hunc humiliet, & hunc exaltet, hunc allidat, & hunc elevet, hunc vitâ, & hunc morte donet. Imperat infernis ne clausos dimittant, imperat locis purgatorii, ut alios solvant, alios recipiant, imperat cælis, ut electos beent. Agnoscamus, & amemus tantum imperium, ne iterum; per vitia jugo dæmonis subjecti: audiamus 2. Paral. 12. Hæc dicit Dominus *Vos reliquistis me, & ego reliqui vos:* non jam; ut sciatis *distantiam, servitutis meæ; & servitutis regni terrarum; sed regni Christi & regni diaboli.*

MODUS VIGESIMUS QVINTUS.

VNus actus; ad diversa objecta; intentio ad fines; factum ad tempora re-

 fertur;

feratur; ut si de misericordia Dei locuturus; dicas, de misericordia in peccatores, pœnitentes, & justos: aut de justitia dicturus; dicas qualis exerceatur in præsenti, & qualis in futura vita. Similiter sententiam illam tentatoris in Dominicam 1. Quadrag. *dic ut lapides isti panes fiant. Matthæi* 4. referre posses, ad diversos status hominum qui circa jejunium tentantur, V. g. ad statum eorum, qui simpliciter à jejunio avocantur. His enim persuadere conatur tentator, ità non esse necessarium homini jejunium, sicut non sunt necessarii ventriculo lapides; ut docere ausus impius Calvinus, contra quem cum Christo tota clamat Ecclesia *Rursum* ad statum eorum, quibus suadet indulgere sibi per dispensationes iniquè obtentas; aut alio modo in jejunio. A talibus enim exigit: ut lapides, panes fiant, hoc est rigor temperetur, durities emoliatur. Denique ad statum quib9, aliud cum nequeat persuadere, suadet cum jejunio, excessum in frugalitate, sive per cibum, sive per potum, quem excessum notant Commentatores in plurali dictione, *lapides & panes*; cum Christo Domino reficien-

reficiendo, panis sufficere posset, & non esset opus panibus. Vide Velasc. ad Philip.

PRAXIS.

Dominica tertia post Pascha.

Tristitia vestra vertetur in gaudium Ioann. 16.

ACcessus & Propositio. Est cur agamus gratias Deo Domino, quod nos de tristitia vertenda in gaudium monuerit. Timendum enim erat, ne multi ploratu & fletu, ab ejus obsequio deterrerentur. Interea, ut hoc ipso solatio certiùs fruamur, expendamus. Quando hæc mutatio tristitiæ, in gaudium, servis Dei obvenire soleat.

Confirmatio, debet constare, referendo factum, aut faciendum ad tempora.

Et si meritò, huic interrogationi, Quando tristitia servorum Dei mutetur in gaudium? iri possit obviam, illo Christi Domini responso, *Non est vestrum nosse tempora.* Neque enim determinatæ sunt vices adversitatis, & prosperitatis: nihilominus ex modo quo Dominus solet procedere nobiscum, tempus quo tristitia vertatur in

gaudium, obſervatum eſt. Et

Primò, Tempus illud ipſum, quo affli-ctiones, & tribulationes, tam internæ, quàm externæ invadunt. Adeſſe enim tunc, protinus, ſervis ſuis conſvevit Pater miſe-ricordiarum, eoſque mirè ſolari, ut de ipſa afflictione maximè gaudeant, eam ament, & in ea ſe oblectent; quod fit per lumen ſpeciale de Dei providentiâ omnia adverſa immitti agnoſcunt; oſculantur bo-ni filii manum Patris plectentis, amantque voluntatem ejus, ſecum fieri. Quia reſpi-ciunt magnitudinem Majeſtatis: flectunt colla humiles, & libentes. Quia intelligunt bonitatem; ſciunt ſibi omnia cooperari in bonum, & exultant; corpore quidem ge-mentes, ſpe autem gaudentes, & cum Auguſt. Pſalm. 53. ingeminantes. *Planè calcavit, planè tribulavit, ſed quid mihi fecit? uva eram, vinum ero.* Huc reſpexit David cum dixit Pſal. 4. *In tribulatione dilatâſti mihi.* Huc Abacuc, cum excla-mavit cap. 3. *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat: ut requieſcam in die tribulationis, ut aſcendam ad populũ accinctum noſtrum*, hoc eſt, parum curo

quod

quod afflictionibus tanquam putredine, usque ad ipsa ossa corrodar: quando in hac ipsa tribulatione, requiem invenio, natam præsertim ex spe, quod ascendam ad populum accinctum nostrum, beatorũ, scilicet, cum Deo triumphantium. Hinc illud D. Teresiæ. *Domine, aut mori, aut pati.* Hinc D. Ignatij Societatis nostræ Parentis. *Pluris se facere & æstimare minimũ granum tribulationis pro Deo sustentatæ, quàm omnes totius orbis delicias.* Hinc Xaverii in mediis laboribus, & periculis. Satis est Domine, satis. Aut me jam tolle de hac vita, aut noli tanta mole opprimere gaudiorum &c.

Secundò, est Tempus alterni successus, prosperorum post adversa, Phæbi post Nubila, cujus mensura à nobis definiri non potest, adventus sperari potest. Hac ratione mutata tristitia Iob, 42. quando *Dominus benedixit novissimis Iob*, magis quàm principiis ejus, item tristitia Iosephi, quando à fratribus venditus, familiæ Putiphari est præpositus: ac rursus in carcerem projectus, ex carcere ad primatum Ægypti vocatus Gen. 45. Tristitia Davidis; à Saule

primùm ejecti, mox in regnum ab universo populo Israel vocati: ab Absolone rursum pulsi, & rursum cum summa gloria regno restituti 1. Reg. 2. capite. Tristitia Mardochæi, Esther 4. Tristitia Tobiæ quando factus cæcus 2. 11. & rursum visum recipit 11. versic. 14. Quod Abraham montem illum in quo Isaacum immolare est prohibitus appellaverit. Deus videt, docet scriptura Gen. 22. & subjungit: Unde usque hodie dicitur: *In monte Dominus videbit.* Hæc verba, D. Hier. in traditionibus Hebræorum, ait abijsse in proverbium, ut locus omnis, qui tentationi, qua probatur virtus serviret, diceretur *In monte Dominus videbit.* Intelligat hæc Christianus, intelligat servus Dei: ut quando tristatur: cogitet id sub oculis clementissimi Domini fieri: & in monte, de quo dictum *Deus videt*: ac proinde spem certam concipiat, quod tristitia ejus vertetur in gaudium. Admirandas enim, & semper servis Dei amicas, oculus Dei in eos intentus, mutationes facit: Vidit Dominus humilem Virginem, & fecit Dei Matrem & Beatam inter omnes. Vidit

publi-

publicanum & fecit sanctum? Vidit in telonio, & collocavit in Apostolico solio. Vidit Magdalenam peccatricem, & fecit peccatorum patronam. Beati, quos Deus oculo suo dignatur; nihil est quod ab ejus intuitu beneficii sperare non possint, adeoque ut etiam tristitia, vertatur in gaudium.

Tertiò & principaliter. Tempus quod finit omne tempus, & beatam inchoat æternitatem! quando, ut ait D. August. Serm. de S. Laurentio *licet claudere in momento oculos, quibus mundus videtur; aperire eos statim, ut Deus videatur.* O felix mutatio! cui accinit Psal. 29. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi; conscidisti saccum meum, & circumdedisti lætitiâ.* De hac apud Iob. cap. 5. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima, non tanget malum.* Sex tribulationes sunt tribulationes 6. dierum quibus hebdomadæ, & vita nostra perficiuntur: septima, est beatæ æternitatis, ut explicat P. Menoch. Eandem describit Apocalyp. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, etiam non erit ampliùs, neq; luctus, neq; clamor, sed nec ullus dolor, quia*

 priora

priora abierunt. Tum perfectè implebitur quod dixit Propheta Psalm. 84. *Et plebs tua, lætabitur in te.* In te, qui cum summum bonum sis, summum gaudium præstas. In te, qui cum æternum bonum sis, æterno gaudio oblectas. In te, qui deficere nequeas, indeficiente gaudio recreas. Sit vel unus Lazarus è mille, tam felicis mutationis specimen, quem D. Chrysost. Serm. 66. cum ejus tristitiam describens, *pauperem, exutum corpore, vestitum pœnis dixisset;* tandem de ejusdem tristitiæ mutatione in gaudium sic ait. *Hinc est, quod recipit, pro doloribus requiem, pro opprobrio gloriam, pro contumeliis honorem, pro despectu gratiam, pro pœnis immortalitatem, pro vulneribus præmia, pro siti, refrigerii fontem, pro fame, cælestis mensæ delitias sempiternas & quem diutiùs angulus non cepit, sinus Divinæ consolationis includit.* Audiant hoc tristes quia gaudebunt, audiát lugentes, quia consolabuntur. Tu verò dives ait idem, *fulgens quondam purpurâ, nunc tegere fimo, pro coccino vestire flammis, pro molli discubitu, sustine tormentorú dura, pro lautis ferculis, epulare pœnas,*

copias inopiâ pensa, ebrietates siti digere, pro odoribus, aspergere fætore, & cui astiterunt voluptatis obsequia, astent tibi ministeria nunc pœnarum.

MODUS VIGESIMUS SEXTUS.

IN duas partes, dividitur oratio, in quarũ prima, tractatur de ipsa quasi substantia & natura rei: in altera, de ejus proprietatibus, aut circumstantiis, Exempli gratia si primò quis agat, de mysterio, magnitudine, excellentia Incarnationis, tum de ejus proprietatibus, quod sit facta post consensum Virginis, quod hominibus, imò & spiritibus malis, ut communior fert sententia celata; quod in carne; de Virgine assumpta &c. &c. similiter, si de ascensione Domini locuturus, prius ejus Magnificentiam; excellentiamque proponat; tum explicet circumstantias; quare post 40 dies! quare discipulis præsentibus? quare de monte Oliveti? quare vestigiorum signis relictis in lapide &c. &c.

PRAXIS.

In nativitate B. Virginis Mariæ.

Liber Generationis Iesu Christi Matth. 1.

ACcessus & Propositio. Certum est, ideò librum generationis hodierno festo prælegi, ut in eo sacratissimam Virginem MARIAM, hodie mundo editam, Matrē esse Dei intelligamus. D. tamē Bernardus; eam, quæ Dei Mater nascitur, vult etiam esse Matrem nostram. Verba illius sunt in salutatione D. Virginis. *Tu Mater Regis, tu Mater exulis, tu Mater DEI, tu Mater hominis* quod veluti explicans, D. Ans. apud Vieg. in Apocalyp. ait *multitudo electorum, cum Christo, in utero Virginis prædestinata descendit.* En rationē Matris hominum, quia hodie nascens Virgo, non aliter Christum concepit, quàm ut electos conciperet. Confiteamur igitur, & consalutemus minimè dubii. Matrem natam DEI. Examinemus etiam, quomodo eadem conceperit electos. ut Mater fieret hominum, tum verò quid à tali Matre sperare possimus, inquiramus.

Confirmatio debet constare Probatione quod in utero Virginis electi sunt conce-

pti.

pti; & est Probatio substantiæ rei: tum, Matris proponi proprietates.

Prima pars Gen. 25, 22. Cum paritura Esau, & Iacobum Rebecca esset, *collidebantur in utero ejus parvuli*, inquit Scriptura. *Porrexitque ut consuleret Dominum qui respondens ait: duæ gentes sunt in utero tuo; & duo populi; ex ventre tuo dividentur*; quo responso, ut clarum est, appellata fuit Rebecca; Mater non duorum solùm hominum; sed duorum populorum. *Duæ gentes sunt in utero tuo*; quasi dicat scriptura: Duos filios geris: & simul innumeros homines generas, quia duo tui filii, duarum gentium capita sunt; & nascuntur: ad quos quotquot sequentur, tanquam ad Principes generis sui referentur. Eodem omnino sensu quod proposuimus explicandum; ut Beata Virgo Maria; solùm quidem IESUM Christum Servatorem nostrum; secundùm carnem in utero gestaverit quia tamen ille caput est; & primogenitus omnium electorum; cum CHRISTO in uterum Virginis descendisse dicatur: adeoque ideò Mater Dei, & hominum; eadem consalutatur. Psalm. 109. *Tecum principiũ in die*

in die virtutis tuæ. Explicat locum Eruditus Iansen. *Ante Luciferum; omnemque naturam; ego te; mea virtute; sine virili cooperatione; è solo virginis utero: hominem generare decrevi; jamq; tunc in mea prædestinatione, genui primogenitum te, & caput omnium filiorum constituens.* Nec alius omnino in uterum Virginis descendit: quàm qualis prædestinatus fuit; ut sic in eundem uterum, descenderet cum illo, numerus electorum quod rursus, Regius Psaltes affirmaturus; ita id sibi certum asserit, ut exultabundus inclamet. *Viderunt ingressus tuos Deus;* Psalm. 67. *Ingressus Dei mei; Regis mei; qui est in sancto.* Qui sunt hi obsecro ingressus? nisi ingressus Incarnationis in uterum *Virginis?* Nusquam enim, ille qui habibat in sancto, factus magis Deus meus, aut Rex meus, quam cum meam assumpsit humanitatem. Consentit Augustinus hic. *Ingressus tui, inquiens, visi sunt., id est manifestati. revelata gratia novi testamenti*, quæ utique alia non est, quam incarnationis, sed jam ingressus novimus, quales fuerint audire volumus. Pergit ergo Psaltes, & simul
cum

cum Christo ingressos Virginis uterum electos, nuntians ait: *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu: Principes Iuda, Duces eorum principes Zabulon, principes Nephtali* hoc est, ut explicat iterum D. Antistes Hipponensis. *Principes Confessionis, fortitudinis, principes fidei, spei & charitatis, verbo, electi* Nunquid ergo Sion *dicet homo & homo natus est in ea.* Psal. 86. Nunquid unius filii matrem illam consalutabimus? Nequaquam. *Sed sicut lætantium omnium habitatio est in te Sancta DEI Genitrix*: verè, nemo in te non videt, nisi qui rectè non videt, *choros castrorum* O castissima Sunamitis Maria! Cant. 7. verè, *venter tuus sicut acervus tritici, stipatus liliis* juxta quod explicat D. Ambros. lib. de institut: Virginum. *Vnum granum frumenti, fuit in utero Virginis, Christus Dominus; & tamen acervus tritici dicitur, quia granum hoc virtute, continet omnes electos, ut sit ille primogenitus in multis fratribus. Secunda Pars.* Proprietates Matris. Erigere jam spes Christiana! erigere gens ad nascendum de tali Matre electa! O felix nimiumque felix, cui Christus

Christus frater est, cui Mater MARIA! vere Mater, quæ de se natos, nutrit, fovet, tuetur, nihilque quod piam Matrem deceat desiderari patitur. *Nutrit*, unde à Sapientia æterna edictum, Cant. 1. *Meliora sunt ubera tua vino*, & ad hoc quod spiritualiter sit significandum, imago B. Virginis de Sardenai non longe Damasco, visa carnis mamillas emittere ut narrat Nierember libro 10. cap. 78. quibus vestita hucusque apparet, gratissimo liquore, inde incessanter stillante. Fovet; hinc iterum in Cantic. 6. *pulchra ut luna, & electa ut sol* dicitur qui duo planetæ, fovendis omnibus germinibus, maximè aptè, & ad id à natura dati. Unde tam sol quàm luna, dicitur Parens rerum. Hinc & ipsa de se per Spiritum Sanctum Eccl 24. *Radicavi in populo honorificato, & in parte DEI mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorũ detentio mea.* Tolle radicem, sustulisti vitam, tolle hæreditatem, invenisti egestatem; tolle fulcrum, molis induxisti ruinam. MARIA radix justorum est, MARIA hæreditatem donat, Maria sustinet suos ac fovet. Hac sublata nemo non ruerit, ab hac

hac fotus nemo abundanter non creverit. *Tuetur*; O quis, hæc præsidia dignè explicet! vere *mille clypei pendent ex ea*. Cant. 4. *Omnis armatura fortium* ideòq; D. Damaſ. Orat. 1. de *Nati*. & Ser. 1. de Dorm. ac Aſſumpt: appellat illam, *Gratiarum pelagus, conceptaculum potentiæ divinæ, officinam immenſorum bonorum. Omnem mentis, captum, & intelligentiam ſuperantium*. & Bernar. Serm. de Nativi. B. Virginis omnes monens, ait. *In Mariam Deus totius boni plenitudinem poſuit, ut proinde, ſi quid ſpei in nobis eſſe volumus, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare*. O Maria! O Divinæ potentiæ & clementiæ theſaurus inexhauſtus! quis mihi tribuat, ut quod B. Staniſlaus Koſtka à ſocio itineris quæſitus, num te amaret? ingenti cordis, vultusque ardore dixit. *Quid quæris Pater? Mater mea eſt*, id ego pari fervore dicie proloquar, atque ut id alii credant, ac ſibi perſuadeant efficiam. Verum nec deeſt, nec deerit unquam Matris pietas in Maria, dum non deficiat filiorum debitum in nobis 2. Reg 2. Dicit Dominus ad David de Salomone. *Ego ero*

ei in Patrem, & ille erit mihi in filium, sed quo pacto! *Pacto salis*, quemadmodum illud appellatur 2. Paral. c. 13. id est sub conditione: si mandata ejus servaverit. Idem nobis persuadeamus necesse, de nata hodie, Dei & nostrum matre; semper illam futuram matrem, si semper nos fuerimus filii; obsequentes mandatis & imperiis ejus. Cæterum loquor cum Christo: Ser. 12. ad illa verba Pater Abraham, miserere mei, *Infelix, quem sic ipsa origo arguit, quem sic ipse lucis author addicit. Infelix, cui in judicio, pro magnitudine Criminis non misereri genitor, non pater ignoscere, non affectio potuit subvenire.* Tu dicas idem de MATRE & meliora cura.

MODUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

MUltum est affinis proximo. Constat etiam duabus partibus. Prima parte tractatur propositio assumpta, sive ea explicet naturam alicujus rei, sive proprietates. Altera autem parte, inferuntur aliqua principia, ad morum & vitæ emendationem,

nem, ex priori tractatu deducta: eaque amplificantur, ac inculcantur. Tantò autem ingeniosius id fieri censetur, quantò illationes majorem habent, cum priori proposito connexionem. Unde etiam in hoc modo tractandi possunt in secunda parte tractari proprietates, circumstantiæque rerum, sed non ut supra eas probando, verùm per connexionem cum probatis, illationes saluti animarum utiles perurgendo. E. g. Dominica 18. post Pentec. ex occasione Paralitici Christo oblati, dicere quis possit de gravitate culpæ lethalis. Nam sicut paralysis, omnes vires, omnem, se per se juvandi modum, imò omnem motum adimit; & non nisi aliena ope sustentari valet: ita culpa lethalis, omnes animi vires aufert, omnia merita tollit, imò ut nullis motibus supernaturalibus homo moveatur, ex se meretur: omnisque sola gratuita Dei ope, saluti restitui potest. Tandem, descenderet ad illationes, cognitionem gravitatis consequentes. V. g. Quantum debeat Deo homo, quod à lethalis culpæ lapsu servetur. Quantum iterum debeat, si postquam labitur, surgat. Quantū etiam,
 quod

quod à lapsu surgens, non solùm stare valet, sed & merita resumat, & eadem cum incremento præmii augere possit. Similiter, si quis exaggeravit in prima parte, mysterium Incarnationis; secundam construet, ex illationibus, inferendo: quomodo debeamus Deo respondere; tam fideli in promissis, tam admirabili in consiliis, tam pio, & in nos propenso in salutis nostræ studiis. &c.

PRAXIS.

Feria II. Pentecostes.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret pro illo. Ioan. 3.

A*Ccessus & propositio.* Ignem de Cœlo in mundum missum, hesterna die esse, teste D. Luca Actor. 2. agnovimus: ignem hunc non novisse nisi ut ardeat, orbemque beatis flammis occupet, hæc verba *sic Deus dilexit mundum*: edocent. Quo enim charitas tanta memoratur nisi ut Spiritûs S. flammæ, in nobis excitentur? Majus tamen etiam aliquid intendi, hoc incendio, mens conjectat, quando, non quæcunque charitas Dei, sed summa, ejus erga nos dilectio, memoratur. Est autem id optare, misso hoc

hoc igne à nobis Deum, ut omnes, in gratissimum illi holocaustum, per beatos ignes cedamus. Id dum declaro, Spiritûs Sancti gratiam supplex imploro.

Confirmatio constare debet probatione quod nos velit Deus habere unum holocaustum: & subjectis illationibus.

Prima pars. Ea est optimi Dei in nos beneficentia, ut cum suo eóque supremo jure, quantumvis maxima nostrûm exigere possit obsequia: contractu nihilominus hominibus communi, cum hominibus Deus agat; qui est, *Do ut des, facio ut facias* ut sic nos ad rectè faciendum provocet. Hinc Psalmista 115. *Quid retribuam,* inquit, *Domino*, non quid tribuam, ut significet, se præventum donis & muneribus. Id rursus clariùs confitens idem Psal. 26. *Prævenisti, ait eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*, coronam utique, qua cinctum caput, nunquam se movere posset, quin in ejus beneficia, quibus se prævenit incideret. Hunc eundem contractum,

memorare credenda, verba Evangelii: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum daret pro illo*, ac proinde exigere, ut Spiritûs Sancti flammis, humiliter, & copiosè conceptis holocaustum, desiderabile DEO fiamus: quale holocaustum, prius pro nobis filius unigenitus factus fuit; & quod nos fieri deinde oporteret: An vero ille non holocaustum; ad Eph. 5. 2. *Dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis*, ac ne dubitaremus, qualis hæc oblatio & hostia censenda, olim in Abrahamo præmoniti sumus, cui Gen. 22. dictum accepimus: *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis atq; offeres illum in holocaustum. Sed in Abrahæ holocausto, ait Zeno Veron. Serm. 1. de Abraham solus Deus doluit, qui aliam victimam procuravit*; in holocausto pro nobis oblatio. *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum daret*: quatenus, & nos tantâ beneficentia provocati, nosmet, eidem in holocaustum immolemus, significatum idem per præceptum de holocaustis Num. 20. ubi primum versu 16. dicitur, *Phase Domini erit, offeretisq; incensum holo-*

holocaustum Domini Tum. V. 26. *Dies etiam primitivorum* (hoc est Pentecostes, ut docet cum aliis, Cornel. & Monachus hic) *venerabilis & sancta erit; offeretisq; holocaustum.* Quid Phase? nisi holocaustum, quo Christus Pascha nostrum immolatus est? quid dies primitivorum? nisi item holocaustum, quo nos, per Spiritum Sanctū in die Pentecostes, tanquam primitiæ Christi offeramus, significat? Hinc, & duplex quotidianum holocaustum, manè; Christi oblationem designat; vespere; nostram; ad quam, omnes ex imitatione Christi provocamur. Levit. 1. triplex genus animalium holocausto aptum enumeratur. Ex majoribus, bos aut vitulus. Ex mediis, oves & capræ; nam sub eadem voce Hebræa veniunt; Ex minoribus, vel volucribus, Turtur, vel Columba. Hæc qui interpretantur, Alii censent, per holocaustum primum & maximum, (Ribera lib. 4. de templo, capite, 3.) significari holocaustum, quod pro nobis obtulit Christus, per medium, holocaustum Martyrum; per postremum, holocaustum Confessorum, alii (ut Rupert. Radulph. Isid: apud Cor.)

docent per holocaustum boum, significari, victoriam fortium, qui labores suos, fraternis substernunt commodis: per holocaustum ovium, victimam illorum, qui imbecilles corpore, operum innocentiâ, & morum simplicitate subveniunt aliis: per holocaustum denique avium, victimam eorum, qui scientiæ & contemplationi vacant, ut Deum agnoscant. Sequamur sensu, quem voluntas cujusque eligit; holocausti nos debito obligatos inveniemus, nisi fortè nec Martyres, nec Confessores, nec fortes, nec debiles, nec Deo digni haberi velimus. Intellexisse interea nostrū debitum censendus Philo, qui totum mundum *victimam Dei*, definivit; ideoque concidi in frusta holocaustum asseruit, ut hac divisione significaretur, debere nos Deo, nosmetipsos, pro sole, luna, terra, mari, aëre & reliquis orbis partibus, offerre. Intellexerunt tamen, multò melius Christiani, quotquot, aut per sacram vitā, aut per ipsum Martyrium, se Deo sacrarūt, inter quos meritò memoranda, 20 millia Christianorum, ad quos in Ecclesia congregatos, cum Diocletianus misisset, ut idolis

idolis sacrificarent, ignibus alias exurendi: uno animo responderunt. *Omnes nos Christiani sumus, unum eumq; solum, Deū & Regem esse credimus Christum, ipsi Patriq;, & Spiritui sancto sacrificare, atq; nos omnes una offerre parati sumus. Niceph. lib. 7. hist. cap. 6.* His adjungenda, felix, felicium filiarum mater, quæ cum sub Dariano Tyranno, ante oculos, cara pignora necari pro Christo videret, identidem ingeminabat: *Tibi Christe Domine hoc meum offero sacrificium, Baron. 522.* quoadusque, & ipsa par victima, caderet. Eja Christiani! assumamus dignos vocatione nostra animos, & nos, Deo sic, diligenti mundum, ut filium suum daret pro illo, in holocaustum devoveamus: quod ut ritè fiat.

Secunda Pars.

Infertur Primò. Meminerimus victimam holocausti debere esse masculum Levit. 1. & immaculatam. Heu! quomodo illi masculi, qui quacunque tentatione, quacunque occasione, quacunque sociorū invitatione, de via virtutis, ad vitiorum cænosa protrahuntur. Quomodo immacu-

lati? quibus mens, impuris cogitationibus, os turpiloquijs, cor omnigenis fæditatibus scatet.

Infertur Secundò. Victimam holocausti, non debere esse cæcam: Lev. 2. v. 22. Heu! quomodo non cæci, qui nec cælum respiciunt, ad se sua pulchritudine alliciens: nec terram, nec vanitatem mundanorum gaudiorum, nec pericula præsentis vitæ, nec territamenta æternitatis.

Infertur Tertiò. Victimam holocausti, non debere esse mancam neque læsam: Ibid: Heu! ubi integritas virtutis! ubi perfectio benè inchoatorum? ubi executio piorum propositorum? Nimis apud multos manca graviterque læsa.

Infertur Quartò. Victimã holocausti, debere ante immolationem extendi, & formari in formam crucis. *Villapàn lib. 3. de temp. cap.* 37. *Heu! quam multi, minimè ad id prompti! quàm facilè levissima adversitate opprimimur, terrasq́; superosq́;, querelis infestamus.*

Infertur Quintò. Victimam holocausti, debere, pelle detracta, ac in partes sectam, immolari, Unde D. Greg. 1. moral. *Pellem hostiæ*

hostiæ detrahimus, cum à mentis nostræ oculis, superficiem virtutis amovemus, cujus arctus in frusta concidimus, cum distinguentes subtiliter ejus intima membratimque cogitamus. Heu! quam multi virtutem jactant, nec colunt, laudant, nec amant. Quam multis neglecta conscientiæ ratio? Oratio verbis plena, affectu nulla? frequentia in templo non rara, cultus Dei vix ullus,.

Infertur Sextò. Victimam holocausti, totam ac perfectè, Deo in honorem, exuri atque immolari. Heu! quàm multi; quàm multum sibi, mundo; voluptati, Deo autē, vix aliquid donant. Quàm stultè juventus vanitati sacratur; senectꝰ cælo promittitur? Quàm impiè vinum mundo propinatur; fæces Deo linquuntur? &c. &c. quæ hic inferri & exaggerari possent.

MODUS XXVIII.

IN duas itèm partes dividitur oratio: quarum alterâ; tractantur quæ ad mores, & instructionem piam spectant: alterâ; quæ ad fidem & controversa dicuntur.

Nihil

Nihil intereſt quæ prius pars tractetur; niſi res ipſa aliquam connexionem prioris & poſterioris ferat; tunc enim; diſpoſitio Orationis naturæ rei conformanda. Monet autem Carol. Regius meritò controverſam materiam perrarò apud fideles & in ſua religione conſtantes tractandam. Ubi verò fideles infidelibus, ac hæreticis miſcentur, magna utilitate id fieri poteſt; dummodo concionator ſedulus, ac ſtudioſus ſit; nec quibusvis argumentis, ſed robuſtiſſimis utatur.

PRAXIS.

In Feſto Glorioſiſſimæ Aſcenſionis D. N. I. C.

Aſſumptus eſt in cælum; & ſedet à dextris Dei. Marc. 16.

A*Cceſſus & Propoſitio.* Io Triumphe! Chriſtianum hodie eſto, quod Carolianum habetur Symbolon: *Chriſtus vivit, Chriſtus regnat, Chriſtus triumphat. Io triumphe! Dominus regnavit, decorem indutus eſt. Dominus regnavit, exultet terra,* ſi fidem das, quam negare non potes, Regio Pſalti; Chriſti ſcilicet Aſcenſio; noſtræ

nostræ lætitiæ, & gaudiorũ, est provectio; quod dum palam fecero, obstaculum quoddam, ejusdem lætitiæ; ab adversariis religionis objici solitum: altera parte sermonis rejiciam.

Confirmationis prima pars, Doctrinalis. Ascensionem Christi esse nostræ lætitiæ provectionem.

Os aureum aureusq; prædicator gentiũ, D. Paulus cum hodiernæ diei acta Hebræis denunciat, hac illos cap. 6. affatur sententia. *Præcursor pro nobis introivit Iesus.* O felicem nuntium? O veram lætitiam! O augustam gaudii suadam! quæ, cum multa concludit, tum verò illud potissimum inculcat, Christi ascensionem nostræ lætitiæ esse provectionem. Quæ enim, veræ lætitiæ Major materia? quæ justior gaudii causa? homini æternitatem suspicienti, exhiberi potest, quàm illa? quâ spes ejus ad possessionem æternam felicitatis obtinendæ erigitur? At h. e. quod nobis Christi Ascensio exhibet, quando qui ascendit, *præcursor pro nobis introivit*, ut impleat quod discipulis dixerat. *Vado parare vobis locum* Ioan. 14. Hinc

Augustin. in solil. *Vbi caro mea regnat, ibi me regnaturum spero.* & D. Leo. Serm. 1. de assum. *quò præcessit gloria capitis: eò spes vocatur, & corporis. Apud inferos emancipatio nostra est, & stipulatio nostra in cælis,* ait *Tertul.* de fuga in persec. sublatæ sunt portæ sempiternæ, ut introiret Rex gloriæ, Dominus virtutum: hominem de terris: imo ab inferis mercatus in cælos. *Et contra Gnostic. Scito, & ascensum illum, exinde complanatum vestigiis Domini: & introitum exinde reseratum, viribus Christi: nec ullam moram aut quæstionem, in limine occursuram Christianis, qui non dignosci habeant illic; sed agnosci, nec interrogari, sed admitti. Nam etsi adhuc putas clausum cælum; memento, claves ejus hîc Dominum Petro, & Petrum Ecclesiæ reliquisse. Nos Christi mors vivificat,* inquit, idem confirmans August. Serm. 176. *nos Resurrectio erexit, nos Ascensio consecravit. In illo nostræ originis corpore, cælestibus regnis, arrham nostræ conditionis imposuit.* Gen. 45. dicebat Ioseph. ad fratres trepidos. *Pro salute vestra misit me Deus, ante vos*, atque ut id probaret, copiosis

primum

primùm muneribus oneratos: habitatores Ægypti, cui præerat; quam primum facere studuit. An non eadem vox triumphatoris hodie Christi? an non res & munificentia, quò excellentior, eò illius in nos beneficentiæ, testis copiosior? salutarisque spei motrix validior? Quid est dicere? *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit, hic salvus erit*, nisi palam profiteri, *quod pro salute vestra misit me Deus, ante vos.* Quid est? gratiam miraculorum & benedictionem liberalissimam Divinarum manuum, ut habetur Lucæ 14. conferre? nisi muneribus cælestibus ad obtinendi regni cælestis spem, erigere. Parum tamen visum summæ benignitati, hac beneficentia nobiscum agere; nisi, quod nos sperare deberemus, id de facto, beatissimis præstaret Patriarchis, atque *ascendens in altum, captivam duceret captivitatem*; quam in spiritu suspiciens David, ad nos provocavit. Psalm. 67. *Rex virtutum, dilecti, dilecti, & speciei domus dividere spolia*, id est: Eja exultate, Christiani dilecti, quia Christus salvator humilis;

glo-

gloriosus hodie super omnes cæli ascendit regnaque virtutes; nec aliter ascendit ac regnat, quam, ut hominibus, speciosissima domus cæli dividat spolia; à devicto humani generis hoste, gloriosissimè hodie vindicata. Surgamus animis, surgamus lætitiâ, quando spes nostra, ascendente Christo eo provecta est, ut liceat illi, juxta D. Pauli: ad Hebr. 6. *incedere usq; ad interiora velaminis*, id est in cælum hactenus velatum, hodie ita revelatum, quod unus quisq; optimo jure, dicere possit, quod edixit lib. 4. epist. 31. Seneca, *Subsilire in cælum ex angulo quovis licet*. *Exurge modo ô vir Christiane, & te quoq; dignum, finge Deo*. Hoc age, & ascensione Christi evectus, spe quoque & lætitia, felici provehere.

Confirmationis pars Secunda, controversa de Christi Domini reali præsentia in Eucharistia.

Ecce verò dum omni merito gaudemus, gaudium nostrum magna parte tollere nobis vult Genevensis Doctor; lib. 4. c. 17. n. 27. Christum inquiens, ascendisse in cælos gaudes: ac inde spe ad illum prove-

vehe-

veheris: vide, ut aut falleris, aut caperis Romane. Si enim neges ascensum, caperis: si affirmes & gaudeas, falleris: cum ea ratione, tibi & tuæ Ecclesiæ, præsentiam Christi, quam in Eucharistia asseris, eripis; quòd meritò justam tristitiam cuivis pariat. Quis enim eam sequelam insolubilem non agnoscat? Christus ascendit in cælum, & sedet ad dexteram Dei, igitur non est in Eucharistia! sed proh! incautum ne dicam graviora, magistrum; qui sibi, de Christo loquenti credi vult, & Christo, de Eucharistia dicenti. *Hoc est Corpus meum* fidem negat. Non sunt humanæ virtutis, quæ loquimur opera, sed Divinæ potentiæ; per quam ita Christus ascendit in cælos, & sedet ad dexteram Patris; ut idem Christus, verè & substantialiter sit præsens in Eucharistia. Idem enim qui dixit *Vado ad Patrem*, dixit pariter Matth. 28. v. 9. *Ego vobiscum sum, usq; ad consummationem sæculi*, spondens utiq; ita se discessurum, ut non nos relinqueret: ita nobiscum versaturum, ut Patris sedem obtineret; non duplex Christus, sed idem ac unus in pluribꝰ locis existens, non ita descendens ad

altare ut deserat cælum, sed ita existens, sub speciebus, ut earum substantiam in substantiam corporis & sanguinis sui ad verba consecrationis transmutet, an verò semel prolatum hominis verbum, in mille auribus hominum diversorum esse potest? divinæ autem illud potentiæ non liceat, quod Christus existens in cælo, constituetur simul in templis & altaribus? At audiamus Greg. Niss. lib. de San. Baptismo, aliud longè ab hoc magistro docentem: *Panis iste, panis est initio communis, sed ubi eum verbum sacrificaverit, corpus Christi, & dicitur, & est. Audiamus*, Augustinum in capite *utrum sub figura*, de Consecr. distinct. 2. *fideliter fatemur, ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formavit: post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem esse, quod benedictio consecravit?* ubi eras Caluine? cum hæc sacratissimi viri profiterentur? ubi eras, cum ante hos, à prima Christi & Apostolorum ætate, tota Ecclesia, (ut citatis omnis sæculi authoritatibus, latè probat Bellarm. lib. 2. de Eucharistia) in idem consentiret! imo ubi eras, cum jam

esses in tempore, & abesses à te, ac tuo ingenio in Matth. 26. caput hoc scribens. *Verè, in cæna, nobis datur corpus Christi, ut sit animis nostris in cibum salutarem: hoc est, substantiâ corporis Christi, pascuntur animæ nostræ, ut verè unum efficiamur cum eo*, & lib. 4. instit. cap. 17. *In sacra sua cæna, jubet me sub symbolis panis ac vini, corpus & sanguinem sumere, nihil dubito, quin & ipse verè porrigat, & ego percipiam.* O nimium mobile ingeniū, quod tam disertè asserta, rursus non semel deserit, & nostram lætitiam turbaturus inclamat. Qui ascendit, nunquid & descendit! Ita omnino. Nam quemadmodum qui descendit, ipse est qui ascendit: ita qui ascendit, ipse est qui & descendit, non passibus corporis, sed admirabilis viæ dignatione, ut qui descendit de cælis, asserente symbolo Catholico, in uterum Virginis, non deserto cælo; idem etiam nunc, descendat ad altare, non desertâ dextrâ Patris, Verbum Caro factum, semel in Virgine: Verbum Caro, Panem verum, verbo carnem, efficit, quotidie in altari. Non habitat, in manufactis templis Deus,

quod illis indigeat aut capiatur: sed incolit illâ, ut nos soletur; nec prodibit ad judicandum ex sacris thecis; sed declaraturus est, in illo die, palam suam præsentiam; quam nunc speciebus sacratissimis velatam, ita colimus: ut revelationem filiorum Dei expectantes, de vera Christi in cælis & in Eucharistia præsentia, hodie potissimum gaudere, atque spes nostras ad superna attollere debeamus. Vide Chrys. homil. 5. de sacerdotio Homil. 2. ad populum & homil. 24 in 1. ad Cor. quibus locis diserte hos terminos nectit; eundem, simul sedere ad dexteram Patris, & manere nobiscum in Eucharistia, docet: addit deinde, quòd sicut Elias abiturus, reliquit Elisæo pallium: ita Christus nobis corpus suum; ea tamen diversitate; quod Elias, pallium dando Elisæo, illo se privaverit; Christus dando nobis corpus suum, illud idem ad cælos assumpserit.

MODUS XXIX.

IMagines Sacræ, totius orationis nonnunquam suggerunt structuram, quod fit, quando forma imaginis, sive modus repræ-

repræsentandi rem signatam, explicatur: reddendo causas, cur hac vel illa ratione pingatur, quid ejus partes, quid adjuncta notent: ut, si dicturus de Passione Domini assumat ad tractandum, formam, qua pingitur Servator crucifixus & agat 1. Cur caput gerat inclinatum? 2. Cur idem, spinis in morte, & à morte coronatum. 3. Cur oculos clausos? 4. Cur Os silens? cur aures minimè audientes? 5. Cur vultum confusum? 6. Cur pectus apertum? 7. Cur manus affixas? 8. Cur pedes perforatos? 9. Cur totum corpus confectum? Idem de aliis aliorum sanctorum iconibus, præsertim variis insignibus & titulis illustribus. E. g. de Principum Apostolorum clavibus & gladio, de Ioannis calice, de Bartholomæi pelle, de Sebastiani Sagittis, de Casimiri lilio, de Alberti remis, & Pontificio sceptro &c. Advertendum autem, non semper omnes imaginis partes aut adjuncta tractari, sed interdum omnes, unam quoque interdum posse assumi.

PRAXIS.

In Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli. *Tu es Petrus, & super hanc Petram, ædifi-*

cabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Matt. 18.

A*Ccessus & Propositio.* Ita hodie firmitatem Ecclesiæ in Petro fundatæ, & adversum portas inferni munitæ profiteor, ac veneror, ut simul ad infirmitatem illorum respiciam, qui considerantes, diversis locis, ut in Anglia, Suecia, ac inprimis Oriente, vigorem Ecclesiæ & decus collapsum, inquirere non raro solent. Quid sit? quod Deus Dominus, concesso tanto indefectibilitatis privilegio, universali Ecclesiæ, partibus tamen nonnullis, illam concuti, ac collabi sinat? Ad hanc itaque infirmorum quæstionem respondere volo; nec aliter id faciam, quam iis adductus argumentis; quæ, sacræ Apostolorum Petri & Pauli, in suis Symbolis repræsentant imagines.

Confirmatio ex consideratione clavium Petri, & Ensis Pauli.

Quod oculis patet, sermone longiore ut formetur non interest. Tales verò sunt formæ D. D. Apostolorum, quorum alter cum clavibus, alter cum gladio, pingitur: & uterque; & sigillatim & junctim sumptis sym-

Symbolis, causas, cur Deus partes Ecclesiæ, per loca & Regna varia labi sinat, edocet.

Ac primùm divi Petri claves, non dubiè quidem in Petro supremam ac plenariam gubernandæ Ecclesiæ potestatem significant? Qui enim domus claves possidet, potestatem in domum habet. Hinc & Apoc. 1. ait Dominus. *Habeo claves mortis, & inferni*, significans, mortem, & infernum in sua esse potestate. Si tamen verba Servatoris quibus illas tradit, expendantur, rem quoque nostram apertam faciunt. *Tibi*, inquit, Christus *dabo claves regni cælorum*. Quid causæ quæro, quod Christus promittat Petro, claves, non clavem? An quia unius cæli, plures portæ? unde dicitur. *Tollite portas Principes vestras*. Psal 23. Cogitent id delicatuli, qui se nullo studio, cælum posse occupare existimant. Inter causas interea cæteras, illa quoque verissima, & nostri propositi est, ideo Petro dari claves, non clavim, ut significet Petri fidem, & Ecclesiam non alligari, nec stringi locis, Provinciis, regnis, sed esse indefectibilem, ac universalem quæ indefectibilitas ac universalitas per-

 missis.

missis. Ecclesiæ in nonnullis partibus, ruinis, magis demonstratur: cum, quamvis in multis locis videatur ruisse, ipsa tamen semper subsistat. S. Leo Serm. 3. de Passione, *Christus* ait *non in templo, nec intra septa civitatis, sed foris, & extra castra crucifixus est; ut crux Christi, non templi esset ara, sed mundi.* Pari modo dicere de clavibus Petri licet, esse & dici claves, non templi, non loci alicujus, sed mundi, & totius regni cælorum. Origen. in Com. in Matth. *Petro quidem*, ait, *sunt datæ claves, non unius cæli sed multorum cœlorũ, ut quæcunq; signaverit super terram, sint ligata, non tantùm in uno cœlo, sed in omnibus cælis: ad eos autem, qui multi sunt ligatores, & solutores, sic dicit, ut solvant, & alligent: non in cælis sicut Petrus: sed ut solvant, & alligent in omnibus locis, id est singuli, in suis.* Quod, si hæc ratio argumentandi, in comparatione, verorum clavigerorum valet, quid dicemus de iis, qui sibi dolose claves arrogârunt? Gloriabatur olim impiè Donatus, apud Augustinum, sibi claves Africæ, & in ea Regni cælorum commissæ. Idem dixisse poterat,

Arius in Oriente, & alii Hæresiarchæ; sed quæ istæ claves, dispersæ ac dissipatæ, atq; demum singulares? ut si Donato Africam eripias, si Ario Orientem, nusquam subsistunt. Non sic Petrus; qui gestat claves regni cælorum, nunquam sua ditione, nunquam suo jure, mensibus etiam regnis, ac Provinciis, destitui potest, ad quod referas item, sensum Clemen: lib. Stromat 6. Philosophiam (dic tu hæresim) *si quis magistratus prohibuerit, ea statim perit; nostram autem doctrinam, à prima usq; prædicatione, prohibent simul Reges, & Tyranni, & singuli Duces, & Magistratus cum universis satellitibus, in nos belligerantes; & exscindere conantes, illa autem magis floret.* Speciale hoc, Petri clavium privilegium, ut nihil deperdant, quamvis aliquibus portis occlusis subtrahantur præsertim, cum singulari Divina providentia id evenisse, evenireque compertum sit, ut si quæ Provinciæ, his clavibus subtrahantur, aliæ continuò substituantur. Id factum post Lutheri; Calvinique hæresim; monstrat; Indiarum ac Iaponiæ conversio: id fieri, post miserum item, quorundam

regnorum lapſum, docent recentes literæ, quæ de innumerarum gentium ad Chriſtũ converſione, ſignificant.

Sed & gladius Pauli; innuit aliam cauſam; cur Eccleſia in ſe indeficiens; in aliquibus terris, regnis, Provinciis deficere ſinatur? ſunt autem peccata populi, propter quæ juſto DEI judicio; beneficium ſalutis illis ſubtrahitur. Gen. 3. poſt narratum lapſum primorum parentum concludit ſcriptura. *Ejecitq́;* (Deus ſcilicet) *Adam, & collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque verſatilem.* Quid ni Eccleſiam, dicamus eſſe Paradiſum? Quid ni Paulum Cherubin? Paradiſus primam dedit homini vitam; Eccleſia reddit; in qua, *ſalvos nos fecit* ad *Tit.* 3. *per lavacrum regenerationis.* Paradiſus arborem fovit; Eccleſia panem vitæ. Ioan. 6. *Ego ſum panis vivus*, Paradiſus, fontibus gratiſſimis ſcatebat; *Fluminis impetus* Pſalm. 45. lacrymarum ſcilicet, & pænitentiæ, *lætificat civitatẽ DEI*: id eſt Eccleſiam. Paradiſus erat medium beatitudinis; Eccleſia ſuos ſaluat. *Qui crediderit & baptiſatus fuerit ſalvus*

erit,

erit. Marc. 16. Est ergo Ecclesia Paradisus, ante quam stat Cherubin Paulus; Cherubin enim alis vehitur; Paulus ad tertium usque cœlum provectus. Cherubin sapientissimus; Paulus 2. ad Corinth. 12. *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Cherubin. Paradisi custos; Paulus Ecclesiæ; sed cur gladio terret? ut discamus, ideo multos ab Ecclesia, & à multis Ecclesiá excludi, propter quod exclusus est, primus homo ex paradiso, scilicet propter peccata. Scio; à D. Chrysostomo; Pauli gladium dici Coronam: quâ caput suum cingi optat: at ut Cherubin tam diu Adami custos; quàm diu ille Deo obsequens; mox verò, post peccatum, factus ultor; ita Paulus, piorũ Corona, impiorum ultor: ô si illa regna, quæ jam à Christo, & Ecclesia rescissa sunt, prævidissent imminentia sibi pericula! O si & alia præviderent! profectò, non alia illis spectacula occurrerent frequentius, quam gladiorum districtorum, templis ipsis & Ecclesiis, propter peccata, maximè in ipsa Ecclesia committi solita, imminentium: quales & ante Hierosolymæ excidium, in àere visi, supra templum notan-

notantur, & quales eidem, prædicta à Christo Matth. 21. videntur, quando *intravit in templum DEI & ejiciebat omnes vendentes, & ementes;* tum verò graviter increpans; *Domus mea inquit, Domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum*, Quid ni potius diceret? Emporium, aut forum, in quibus vendi res, & emi solent; non verò speluncam. Tria potissimum spelunca habet 1. Est asylum latronum: ad quod, vitaturi supplicia confugiunt. 2. Est velamen scelerũ, sub quo, multa homicidia, & male partorum malæ partitiones, aliaq; immania scelera peraguntur. 3. Est nutrix, & limes mortis, à quo scelerati ad necem & gladium aut prodeunt, aut producuntur. Faciunt igitur improbi Eccles. speluncam, propter priora duo, quia eò confugiunt vitaturi supplicia, peccatorum: & cum confugiunt, asylum suum, volunt esse velamen criminum novorum, supra quæ ingemiscens Chrysos. homil. 32. *Domus priscis temporibus, Ecclesiæ erant: nunc ipsa etiam Ecclesia in Domum redacta est. Nihil ante in privata domo, carnale loquebantur:*

bantur: nihil nunc in Ecclesia spirituale memoratur: sed huc etiam fori, & judicii negotia introducitis, quas ob res, acerbè fleo, & nunquam flendi finem faciam. Quid ni igitur, ex eo tertium sequatur? ut Ecclesia, facta hoc modo spelunca, fiat nutrix gladii, & primus limes, iræ Divinæ contra peccatores; quam indicat Pauli gladius, & explicat horrendis minis Dominus Ier. 7. dicens. *Nunquid ergo spelunca latronum, facta est Domus ista, in qua invocatum est nomen meum*, tum subdit. v. 15. *Projiciam vos à facie mea sicut projeci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim.* ac rursus. *Tu ergo, noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem.* Quid gravius dici potuit? & quæ clarior causa reddi, cur nobis, orationum communio, cur laudandi Dei loci adimantur, cur à facie Domini cum regnis & provinciis abjiciantur? quam hæc dicta Prophetæ, & peccata nostra, & iram Dei, gladio D. Pauli signatam, memorantia.

Restat, ut conjunctim quoque, sumptæ claves Petri, & gladius Pauli, causam suggerent;

gerent; cur Deus sinat, Ecclesiam, in partibus quibusdam orbis collabi? & est violentia, quæ clavibus, & gladio improbe interdum ab hominibus infertur. *Gloriosi Principes terræ, quomodo in vita dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati*, *ait de* Apostolis Ecclesia. Par illis vita, ac mors obtigit. Ardet zelo Petrus, & pro Christo, se morti offert. Matth. 26. *Etiamsi me oportuerit mori, non te negabo*, ardet Paulus, & ad ejusdem gloriam cupit esse anathema pro fratribus, ad Rom. 9. Humilis Petrus, Christi præsentia se indignum judicat: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*, Luc. 5. Humilis Paulus, minimum se Apostolum judicat, 1. Cor. 15. *Ego minimus Apostolorum.* Indefessus labore Petrus, Iudæam, Græciam, Romam prædicatione implet. Par studio Paulus, eadem aliaque loca prædicans, obit. O pulchram vitæ similitudinem! quam mors par coronet. Pro eadem Religione, eadem die, ab eodem Tyranno, Martyrio coronati: Ut tandem, nec post mortem separarentur, ambo, Principes, Tutores Ecclesiæ simul esse meruerunt; ita illam defensuri,

fenſuri, ut & claves gladio, & gladius clavibus jungatur, Num. 32. ait de Iſraelitis ſcriptura. *Egreſſi ſunt de Ægypto per turmas ſuas, in manu Moyſi & Aaron.* ubi Orig. *Ad exeundum de Ægypto, non ſufficit una manus: ſed manus Moyſi quæritur & Aaron. Ito ſecura cohors ſub talibus Ducibus.* Commodiſſimè id referes ad Duces Eccleſiæ, Petrum, & Paulum: verum ne duæ tibi manus diſſenſionem ingenerent, adverte ſcripturam, dicentem, non in manibus, ſed in manu Moyſi, & Aaron, quod notans, qui ſupra, Origen. *In manu*, inquit, *Moyſi, non in manibus. Vnum enim opus utriusq;, una manus eſt, atq; una perfectionis expletio*, ſcilicet, in Moyſe & Aarone populi liberatio: in Petro, & Paulo, Eccleſiæ per claves & gladium defenſio, & tutela. At quam non rarum, etſi impium? ut & claves Petro & gladius Paulo, ſi ſuperis placet, vi extorqueantur? Quid agunt, qui, nequaquam debita præparatione præmiſſa, Sacramenta ſibi miniſtrari volunt? Petro, claves extorquent. Quid, qui excommunicationes, interdicta, & alias pœnas Eccleſiæ contemnunt.

temnunt, Paulo, gladium, ad Ecclesiæ jura tuenda datum, eripere nituntur. Fit ergo, ut ejusmodi turbatores, audiant dicta, Iof. 7. *Quia turbâsti nos, exturbet te Dominus.* Gravis erat multis solus aspectus clavium, fiat ergo, ut Ecclesiæ sublatæ, non inveniantur, etiam cum quærentur. Oderant sacras Conciones, audiant hæreticas, Paganasque blasphemias: fugiebant frequentiam Sacramentorum, arescat anima, sine usu illorum. Execrabantur monitiones, decreta, minus Prælatorum, sentiant servitutem Barbarorum. Tollantur de medio populi Dei, qui tollere claves Petri nitebantur de Ecclesia, rescindantur per bella, aliosque infaustos eventus à fidelibus qui voluerunt ferre fulgorem gladii per Ecclesiam micantis cum fidelibus: ut sicut ait Chrys. in Psal. 3. *Vnde est fons peccati, inde procedat, plaga supplicii.*

MODUS XXX.

PEr Prosopopæiam, vel quasi Prosopopæiam, quando scilicet Orator, inducit in Oratione, aliam à se personam loquentē, & quid

& quid illa dicat, non in quo, ipsi audiri velit, refert: explicando interea, illa aliena dicta, probando, amplificando. Possunt autem induci, ratione gravitatis debitæ servata, non solùm res animatæ, sed & inanimatæ, ut cælum, sol, elementa, & his paria: quemadmodum fecit D. August. in soliloquiis; inquirens Deum; & inducens creaturas respondentes: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Hic modus dicendi potissimũ convenit, si sermo habeatur de rebus dubijs; difficilibus, admirandis, E. g. si de Immaculata conceptione locuturus, dicat. Nolle se, in materia non definita, definire; sed rogare ab Auditoribus, ut auscultent de ea re loquentes Prophetas, Patres, admirandas historias, quibus per Prosopopæjam sermo esset dandus: similiter, si de Sanctissima Trinitate dicturus, asserat, mysterium id sibi esse inexplicabile. Audirent igitur potiùs de ea re gravissimas Athanasii, Augustini, Nazianzeni, sententias: quas illæ personæ edicentes, citari deberent.

PRAXIS.

Dominica III. post Pascha.

Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.

ACcessus & *Propositio.* Modico Evangelij, modicum vitæ nostræ designari, plurimi cum D. Augustino 101 in Ioann. id affirmante, consentiunt: sed modicum vitæ, esse verè modicum, nimis quam pauci sibi persuadent: atque ideo, diuturnitate & gravitate laborum territi, illud Hebræorum Esa. 28. v. 13. submurmurant. *Expecta, reexpecta, modicum ibi, modicū ibi, modicum ibi, modicum ibi;* fitque quod subdit propheta: *ut cadant retrorsum, & illaqueentur & capiantur.* O quis mihi det, ut hoc modicum, esse modicum, hodie persuadeam! Non assumo audaciam: verum rogo, ut mecum pariter gravissimos, ac sapientissimos viros, id suadentes audiatis.

Confirmatio per inductionem testium, propositum suadentium.

Atque primum audire mihi videor D. Præsulem Hipponensem loco citato sic concludentem. *Modicum est, hoc totum spatium, quo præsens pervolat sæculum,* quod

quod ut intelligamus, mox subdit. *Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur: cum finitum fuerit, tunc sentiemus, quàm modicum fuerit.* Hem nostros errores, qui tempus, non ex eo, quod egimus, mensuramus; sed ex eo, quod speramus; aut potius fingimus: cum tamen, quod non egimus, nullo modo nostræ mensuræ subsit, quod gessimus mensurari possit. Numera ergo triginta, quadraginta, aut sexaginta annos, quos gessisti, & dic quantum de illis tibi hodie restet. Certe nisi falsum ames; & si Iacobi ætatem attigeris, dices. *Dies peregrinationis meæ, centum triginta annorum sunt, parvi, & mali.* Genes. 47. Nihil ex illis restat, nisi unum momentum; cui an aliud successurum, ignoras; sed etsi succedant millia, cum finita fuerint, *tunc senties, quā modicum fuerit*: tunc apud te frustra requires, ubi illi familiares? ubi illa gaudia? ubi illa juventus? ubi illæ voluptates? Transierunt sicut umbræ, & nullum sensū, nisi minutissimi modici, reliquerunt. Unde prædictus doctor rursus in Psal. 36. *Recole annos ab Adam usq; ad hodiernum diem.*

 Percur-

Percurre scripturas: heri pænè, Adam ille, de Paradiso lapsus est. Vbi sunt præterita tempora? Sic pauca utiq; quæ restant trãsibunt. Si toto illo tempore viveres, ex quo Adam de Paradiso dimissus est, in hodiernã diem: certè videres vitam tuam, non fuisse diuturnam, quæ sic evolâsset. Psalm. 36. *Cum perierint peccatores, videbis.* Quid vero illud est, quod tunc videri possit, postquam peccator, justissimis sepulchri absorbetur tenebris? Iob. 20. *Quod laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Nam quasi *sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent, ubi est?* Gen. 3. Adam interrogatus à Deo, ubi es? respondit. *Vocem tuam audivi in Paradiso, & timui, eò quod nudus essem, & abscondi me.* Tum primùm Adam, perfectè se miserum agnovit, cum quæreretur, ubi es? tunc & homines, miseriam, & instabilitatem, ac brevitatem suam agnoscunt, si à se requirant, ubi es? post tot scilicet annos, & post tot decades annorum. Ah infelix! si non prius hanc interrogationem ordiaris, nisi posteaquam ipsa mors, aut infernus à te requisierit,
Ubi

Ubi es? Certè si Adam in Paradiso extimuit ad hanc vocem, gravius, tu necesse est, expavescas: sed non te abscondes. Igitur nunc à te require, ubi sis? ubi sit pueritia in juventute, ubi juventus in virili ætate, ubi virilis ætas in senectute, & videbis quod à D. Augustino doceris, quia, *hoc modicum, longum nobis videtur, quia adhuc agitur: cum finitum fuerit, tunc sentiemus, quàm modicum fuerit.*

Validiore tamen, insuper ratione, hoc modicum, esse verè modicum, videtur persuadere Propheta Aggæus cap. 2. v. 11. sic nos in persona Dei alloquens. *Adhuc unicum modicum est, & ego commovebo cælum & terram & mare & aridam.* Quibus verbis innuit, transiturum mox tempus, quod ducimus, & successurum aliud tempus, in quo, jurante Angelo, Apoc. 10. *Tempus amplius non erit:* sed successura est tempori, immensa nulloque unquam terminata fine, æternitas: cui quantumvis temporis comparetur, modicum, & iterũ iterumque modicum est. Scribit de S. Galgano, Philip. *Ferra.* in Catal. 88. Illum, post annum, in obsequio divino perfectè

exactum, vocem è cælo audivisse, se ad præmium continuò percipiendum, vocantem. *Satis est quod laborâsti: metes nunc, quod seminâsti.* Multi credo forent, qui annuo obsequio cælum obtinere vellent; sed revera, quantumcunque illud longum videatur, nec annuum est, sed minus quàm modicum, æternitati comparatum. Quid appendis cum *infinito* inclamat August. Psalm. 36. *quantumcunque finitum? Decem millia annorum, decies centena millia, si dicendum est, & millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt.* O quàm profundè stylo ferreo, ad intelligendum id, imprimenda cordi essent Seraphici verba Francisci. *Modica voluptas, pœna imm[illegible]a: modicus labor, gloria æterna: multor[illegible] electio, omnium retributio.* Quid agit[illegible] peccatores, dum mundum sectamini? *modica voluptas, pœna immensa.* Quid metuitis pii, dum susceptos pro Deo labores deseritis? *Modicus labor, gloria æterna.* Utrobique modicum est, si æternitati comparetur: & utrumque eum animum in Christiano exigit, quo respondit, gloriosissimus Martyr, Thomas

Morus,

Morus, consorti suæ, ut in suorum solatium, regiæ voluntati, quæ quam improbæ, assentiret persuadenti, postea quam enim, sciscitatus ab illa fuisset; Quamdiu tandem illis solatiis uti liceret, quæ illa promitteret? & uxor respondisset: Facile crediderim 20 aut 30 annis. exclamavit: Vis ergo me ita stultum, ut annos 20 aut 30 æternitati immensæ præferam! Non emo tantùm tantillo; nec perdo. Hoc diu noctuque Christiani nobis proponamus, & intelligemus, quam verè Hieron. in proem. cap. 8. Ezech. dicat. *Nihil longum, quod finem habet, & æternitate excipitur.*

MODUS XXXI.

PEr suspensioné, vel quasi suspensionem, quando scilicet Orator, ita de aliquo, tanquam principaliter intento, se acturum proponit: quod prius de alio, tanquam minus principali agere velit; cum tamen in priori potius, vis orationis consistat, quàm in posteriori: etsi posterius, tanquam præcipuum *A*uditor expectet E. g. si Dominica 2. Pentecostes dicturus, hoc

modo proponat. Inviturus vos ad magnum convivium prodii, sed antequam id faciam, suadebo inprimis ne ab hac invitatione vos excusetis; atque sic, primùm rationes excusantium, á cæna magna rejiceret; tum verò, ad invitationem descenderet: similiter si Dominica 8. quæ est de peccatoribus appropinquantibus, diceret: se velle, peccatores Christo præsentare, quod antequam fiat; instructurum, quales debeant esse, qui velint præsentari, aut, quam desiderandum hoc sit peccatori, præsentari Christo.

PRAXIS.

Dominica Quinquagesimæ.

Post quam flagellaverint, occident eum. Luc. 18.

A*Ccessus & propositio.* Refert vita B. Ioannis servi Dei; solitum illum, deferre secum imaginem reconditam crucifixi, quâ per occasionem depromptâ, per nomen & præsentiam crucifixi, multa ab hominibus petebat; ac impetrabat. Imitabor eundem hodie, & Christi crucifixi imaginem, quam Ecclesia Evangelii verbis repræsentat; assumens: à vobis *Auditores* per

per ejusdem crucifixi nomen, & gratiam, nonnihil, illudque exiguum petam; non prius tamen, id ipsum facturus, nisi cum breviter ostendero, justissimum esse, ut quod à nobis per nomen crucifixi petitur, facilè concedamus.

Confirmatio debet primo loco posteriorem partem tractare, quæ est: Quod per Crucifixi nomen petitur, facile concedendum.

Ita omnino, cum omnis ratio doceat, non neganda ei paucula, quædam ac exigua, à quo maximis sis præventus muneribus, quis hominem ferat, qui ex infimo statu, alienâ gratiâ ad sublimem opulentumque gradum evectus, si ejus deinde benefactor, aliqua re egere videatur, eandem neget? præsertim si alter, in eo juvando, omnes opes expenderit, Heu Christiani! respicite in crucifixum, cum per crucifixum, aliquid peti auditis. Videte ut pauper, ut nudus appareat. Quid ita? quia in nos omnes opes expendit, atque semetipsum in nostri pretium exinanivit ad Philip. 2. quod idem Isai annuntiat 52. *Disciplina pacis nostræ, super eum, & livore*

 ejus

ejus sanati sumus. Devotissimè August. Medit. cap. 7. *Quo nate DEI, quo tua descendit humilitas? quo tua flagravit charitas? ego iniquè egi, tu pœnâ mulctaris, ego facinus admisi, tu ultione plecteris, ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris, Ego superbivi, tu humiliaris; ego tumui, tu attenuaris. Mea igitur paupertas.* pergit Amb. 2. in Luc. *illius patrimonium est, & infirmitas Dei, mea est virtus. Maluit sibi egere, ut omnibus abundaret.* Apud Augustum Imperatorem veteranus miles causam dicebat, cui decernendæ, aliquos ex Patribus conscriptis, Imperator destinabat: tum miles pectoris vestimento diducto, & vulneribus patentibus. *Non ego Cæsar, periclitante te Actiacò bello, vicarium quæsivi, sed pro te ipse pugnavi.* Subijcit Seneca. *Erubuit Cæsar, atq; ipse in advocationem descendit: veritus ne non modò superbus, sed etiam ingratus haberetur.* Beneficiorum memoria Cæsarem ad concedendum, quod desiderabat Veteranus ille, movit: nos latiùs longè patentibus, & beneficiis, & vulneribus, crucifixi ad indulgendum, quod per crucifixi

cifixi nomen petitur descendere, recusabimus? Apage infelix ingratitudo, & tu, à quo aliquid per nomen crucifixi petitur, memineris insuper; venturum tempus, cum per idem nomen, salutem tuam deposces vide ergo, ne si illud auditum, leviter dissimules, à te quoque prolatum, meritò dissimuletur. Usu multarum Provinciarum receptum, inter bivia & viarum divisiones, crucifixi imaginem locari. At erit bivium geminæ æternitatis, tunc exclamabis. *Domine Iesu Christe fili Dei vivi, pone passionem, crucem, & mortem tuam inter judicium tuum & animam meam* Adverte quàm id mereberis, si jam, cum à te eodem nomine aliquid petitur, animum avertis. Sepeliebatur inferrô dignum cadaver, ut habet speculum Exempl. cui adstantes sacerdotes, dum pro more, illa verba, ex Iob assumpta, & in funere fidelium ab Ecclesia decantari solita, *Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei*, occinunt, crucifixi proxima imago distincta voce respondit. *Non pepercit, non parcam*. Utinam nemo sit, sed heu multi futuri! quibus similia, vox interna,

in ago-

in agone intonabit. Non pepercit, non parcam: non exaudivit preces miserorum, non exaudiam; Noluit cor suum moveri ad nomen crucifixi, non movebor. Absit hoc à nobis, quibus nihil magis auxiliari potest, inter illa extrema pericula, quàm nomen, & merita crucifixi. Scribit Flor. 264 anno 1548. mortuum virum piissimi ordinis Capucinorum, qui singulis noctibus, longas flagellationes faciebat, eo insuper genere flagellationis adhibito semel in anno, quo, tot ictus corpori infligebat, quot inflicti Christo flagellato ex revelationibus habentur. Hic tamen deinde, apparens fratri Ioanni Apulo, & interrogato, in quo statu esset, respondit. *In via salutis, quam sola Christi passione, & ejus meritis consecutus sum.* Id certè etiam sensisse dicendus, Ioannes ab Alverra, qui moriens, his D. Bernardi verbis fratres est allocutus. *Christi passio, ultimum refugium, singulare remedium. Deficiente sapientia, justitia non sufficiente, ...ctitatis succumbentibus meritis, illa succ...rit.* Hic noster quoque sensus sit necesse: quo, ad concedendum facile, quidquid Christi crucifixi nomine
petitur,

petitur, nullo negotio permovebimur.

Confirmationis secunda pars principaliter proposita, sed suspensa.

Iam igitur pro crucifixo, ejusdem crucifixi nomine supplico; jam peto; tantùm intelligere vellem, an quod peto concessuri sitis. Respondete non mihi, sed crucifixo Servatori, conceditis ne, quæ peto? Hæret non nemo, & priùs significari cupit, quid petam. Proh turpissimam parcitatem! Cur quæris quid pro Crucifixo petam, cui nihil merito negare potes, si petam? sed cum *D. Bernardo* fateri debes. *Quia fecisti me, debeo tibi me, quia autem refecisti, factus homo*; adde, & passus pro me, *debeo, plus quàm me.* Sis interea velim certus, nihil tuis commodis, nihil opibus, nihil incolumitati obfuturum petendum, quin potius id, quod leve sit, & cum Crucifixo donaveris, tuæ maximæ saluti, tuis deserviat emolumentis. Illud verò est, ut quoniam tres primi, quinque g. dies, à malis Christianis cum frequenti offensâ DEI Domini expenduntur, tu ô Christiane Crucifixi amator, in hoc templo; in hac hora,

hora, in hac præsentia ipsiusmet Dei Servatoris, firmo animo statuas, singularem curam: quatenus eosdem sine omni peccato transigas. Ecce quod peto, quàm parum, quàm justum, quàm salutare! Triduo sustinuit dominum turba, & meruit, ingenti miraculo, refici. Marc. 8. hoc tu pariter spera, si triduum istud Deo donaveris: reficieris; & cum ingenti delectatione reficieris: cum senseris animum purum, conscientiam quietam, Deum amicum, ac insuper tibi singulariter pro eo momento obligatum, quo videbitur *filius hominis in majestate magna, & plangent omnes tribus terræ* Matth. 24. tunc tu hilaris, levabis caput tuum: gaudebisque in Deo Iesu tuo. Sed & cum venerit hora mortis destinata, & cum quicquid dederat, aut promiserat mundus, ablatum fuerit: sumes securus, in manus tuas Crucifixum, aut pectori superponi senties: pondus utique contemptoribꝰ Crucifixi, non sustinendum. Tunc denique implebitur in te, quod ad Heliodor. scribit D. Hieron. *Tunc ad vocem tubæ, pavebit terra cum populis, & tu gaudebis. Tunc tu rusticanus, & pauper exulta-*

exultabis & videbis, & dices, Ecce crucifixus DEVS meus.

MODUS XXXII.

PEr interrogationem, quando Orator, quasi dubius, aut instructionem meliorem ab aliis petiturus; proponit, se de aliqua re quæsiturum: vel ab auditoribus, vel ab absentibus, vel ab aliquibus statibus, & ordinibus, hominum, vel à scriptura, vel à Patribus, vel denique ab aliis creaturis, totumque sermonem per interrogationes iteratas nectit, E.g. si quis de SS. Trinitate, inquirat sententias, diversas, easque allatas suscipiat, aut rejiciat, Item, si ad Evangelium Dominicæ 13. post Pentec, *Novem autem ubi sunt?* requirat à diversis hominum statibus, an ejusmodi ingrati, apud illos non foveantur, formando pro necessitate causæ, responsiones: & ad salutares exhortationes derivando: aut si Dominica 15. à Pentec. ex occasione defuncti filii viduæ in Naim, inquiratur à Medicis, Philosophis, Theologis, an mors vitari possit? simili etiam modo disponitur oratio per

figuram Responsionis: ut si Dominicâ 5. Quadrag. ad illud, *quare non creditis?* reponatur, unum ac aliud Quia, sed sit.

PRAXIS.

Dominica 9. post Pentecost.

Non relinquetur lapis supra lapidem. Luc.19.

ACcessus & *Propositio.* Occasus Hierosolymæ Vrbis, orbi & ætati omni admirandæ; monet nos, nullam civitatem, imò nullam Rempublicam tam felicem debere censeri, quæ non suum occasum aliquando subire cogatur. Illud tamen verum est, ut subitò præcipitari: ita aliquandiu conservari consiliis ac moribus humanis, Respublicas posse. Sed quæ hæc consilia, qui mores? longum esset de utrisque disserere. Hoc igitur solùm hodie quæram. Per quid Regna præcipitentur. Neque id rursus, tanquam sententiam mihi arrogans narravero: sed vobis coram, à viris inprimis Reipublicæ gubernandæ peritis, tum à Sacra Scriptura id requiram.

Confirmatio per Interrogationes texta.

Est suus etiam posthumis manibus sermo,

sermo, Aud. est sua oratio, tantò certior, quantò apud omnem posteritatem constantior. Illos igitur alloquor; ac inprimis tuum judicium requiro, vetustissimè observator Rerumpublicarum Livi, & tuum ornatissimè Romani Imperii cultor Flore, Agite, decernite. Quid sit, quod potissimum Rempublicam Romanam præcipitâ. rit, & præcipitare possit alias? Respondet prior lib. hist. 2. *Id unum venenum, ea labes civitatibus opulentis reperta, ut magna imperia mortalia essent.* Quid ais vir doctissime siccine credis, imperia, ut homines; mortem agnatam habere? Ita omninò censet: & Divinæ Providentiæ, stata imperiis tempora designantis, jura prodit; O vanas hominum curas? O fallaces cogitationes! quæ immortale aliquid censent, quod mortalis constituit manus. Quicquid stat, ruat necesse est: & si jam Floro aures damus? tum ruat cum maximum robur, & incrementum sumpsisse videtur. Roma enim, ait *ille magnitudine sua ruit.* Roma utique illa, quam Servius, in Eclog? Virgilii, dicit non tantùm magnitudine, sed genere differre ab aliis

civitatibus, & esse quendam alterum mundum. Roma item illa, supra quam exclamat, D. Fulgent: *Quam speciosa sit necesse Hierusalem Cælestis, si sic fulget, Roma terrestris!* Si ergo hæc, & tanta Roma magnitudine ruit: videant quam accommode ad bonum commune agant, qui fines imperii sui cum orbe terminatos volvant; imò scilicet pro Iove, cælis imperare desiderant. Sed fortassis, aliam ruentium imperiorum causam, maximum Philosophiæ & Politicæ decus, Aristoteles assignârit, bene est. Ad te jam ô laureatum caput convertor; & quibus potissimum causis, Respublicæ collabantur, inquiro. Duas ille assignat, lib. 2. Arnisæi, in suam politicam, scribentis, primam honores nimios paucis collatos, aliis exclusis. *Cum enim multitudo inopum ab honoribus exclusa est.* ait idem 3. polit. cap. 2. *eam Rempublicam oportet plenam esse hostium.* Quod si plena sit hostium, plena erit insidiarum, plena impugnationum, se in ruinam agentium. Secundam dicit esse nimiam potentiam civium, præsertim armatorum *Qui enim arma in manu habent, eorum arbitrii est.*

rili est, ut maneat, vel non maneat, Respublica, 7. polit? cap. 9. Dicere id posset nostra Polonia sub Sigismundo primùm III. ac mox sub Ioanne Casimiro Regibus, civili potentia gravissimè pressa, ac penè in exitium supremum protrusa. Sed nunc quid adhuc alios non adibo? & ab iisdem non requiram? Ut latè non evager, te ornatissime Salusti, & te Fortissime Rex Iugurtha, non præterierim: quin Rerumpublicarum ruentium causas, requiram. Uterque eodem libro historiæ Salustianae respondet. Et ipse quidem Salustius, occasum imperiorum, in mutationem morum refert, iisdem quippe artibus imperia conservantur, quibus comparata fuerint. Rex autem, sensus animi alta voce promens: his Romam cadentem, & in ea orbis imperia alloquitur. O venalem Romam, si quis reperiatur, qui eam mercetur? Turpe & exitiosum Regnorum ludibrium, venale in magistratibus imperium. Quid agat virtus? quid sapientia, quid Heroum fortitudo, ubi omnia pecuniæ prostant? Abesse certè illa, talibus imperiis debent: & si absint, magna imperia, quod horrebat, Augustinus,

nus, fieri est necesse, magna latrocinia, ac inde penè occasus subire.

Sed cur ego hos morer, quin ex ipsis Divinæ Sapientiæ oraculis rem expediam. Te ergo divinissime vates Isaia, te Ieremia, te Michæa, te Zacharia: vos quotquot, Dei luce perfusa claruistis pectora, interrogo? quæ nam sint? quæ principatus, Regna, imperiaque in præceps agunt? Nemo illorum non illa voce Eccl. cap. 40. respondet. *Mors, sanguis, Contentio, & rhomphea, oppressiones, fames & contritio, & flagella, super iniquos creata sunt hæc omnia.* Eheu peccata, quam facilè admittimini, & quam dimittimini difficile! nec hominibus tantùm singulis, sed totis regnis, ac Imperiis interitum adfertis! Zachariæ 5. vidit Propheta Amphoram, cui insidebat fæmina, habens nomen, *Iniquitas*, in terram Senaar transferri. Quod istud monstri? Regnorum scilicet, consentientibus scriptoribus, vices significantur: quæ, propter iniquitates populi mutantur, & transferuntur: juxta edictum Spiritûs Sancti Eccles. 10. v. 8. *Regnum, à gente ad gentem, transfertur propter injustitias.* Quod si inqui-

inquiramus quæ potissimum scelera, hanc pænam Dei secum trahant, dicet Isa. cap. 23. esse luxum, & superbiam; *Quis cogitavit, inquiens, hoc super Tyrum, quondam coronatam? cujus negotiatores, principes; institores ejus, inclyti [illegible]æ. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ.* Dicet item idem, capite. 26. esse pauperum oppressionem, *incurvabit habitatores in excelso, civitatem sublimem humiliabit.* Quid ita? reddit causam, *conculcabit eam pes, pedes pauperum, gressus egenorum:* scilicet, confirmante David Psal. 10. *Tibi.* O Deus, *derelictus est pauper: orphano, tu eris adjutor.* Denique concludet ipsa veritas & orbis Servator: esse Impænitentiam; quam hodierno sermone describit. Luc. 19. *Quia si cognovisses, & tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi: nunc autem, abscondita sunt ab oculis tuis.* Audite hæc Reges, audite Regna, & intelligite, quis patiens est Dominus, & multæ misericordiæ: verumtamen nisi convertamini, in die, quæ ad Pacem vobis est, *in tempore opportuno*, Psal. 33. aut ut Heb: legunt, *in tempore inven*

inventionis: fiet quod post impœnitentiam Ierosolymæ prædictum. *Venient dies in te, & non relinquetur lapis supra lapidem*; Cogentibus peccatis vestris, Deum quodammodo invitum, ad ultionem justam, de vobis sumendam: juxta quod loquitur Salvian. lib. 6. de provid. *Circumsonabant armis muros Carthaginis populi barbarorum: & Ecclesia Carthaginensis, insaniebat in circis, luxuriabat in theatris. Alii foris jugulabantur, alii intus fornicabantur. Pars plebis foris erat captiva hostium; pars intus, captiva vitiorum.* Tum addit. *Et cum hæc omnia fierent, quid aliud talis populus agebat, nisi ut cum Deus perdere adhuc fortasse nollet, tamen ipse exigeret, ut periret.* O cæcitatem? O amentiam? semper vitandam.

MODUS XXXIII.

SEntentia habens specialem Emphasim, aut propter mysterii excellentiam inclusam: aut propter beneficii magnitudinem, significatam; aut propter præmii, vel pœnarum excellentiam exaggeratam; ita

ita tractanda assumitur, ut toto Orationis decursu, probationes, aut amplificationes illius nectantur: ipsa autem suo sensu, singulas sæpius concludat. Potest autem ejusmodi sententia non solùm ex Evangelis sacris assumi, sed & aliunde peti: atque rei propositæ adnecti. Sic exaggerat in Vigilia Nativitatis, verba illa, *Iesus Christus filius David, nascitur in Bethleem Iuda*, mellifluus Bernardus. Sic in ipso die Nativitatis, verba illa, *verbum caro factum est*, decus concionatorum P. Petrus Skarga Societatis nostræ. Hujus etiam exaggerationis formam, premit Drexel, in Rogo damnat. cap. 10. ad illa verba *Æternitas piorum suspirium.*

PRAXIS.

In Festo omnium Sanctorum.

Beati, Beati, Beati &c. Matth. 5.

ACcessus & Propositio. Si quis dies, potest, hodiernus etiam debet, persuasum nobis reddere, quod olim sibi certum, coram toto mundo edixit; tuba Sacræ Eremi Hieronymus. Vox ejus est, *Nullus labor durus, nullum tempus longum, debet videri, quo gloria æternitatis acqui-*

ritur. O quam pauci hanc vocem audiunt; quam pauciores intelligunt! ut autem intelligant, plurimum omnino interest! quatenus ad eam gloriam, ad quam creati sumus, & quâ felices animæ Sanctorum jam fruuntur, animosè accingamur. Eja auditores! demus tanto negotio, tantillum temporis, & ad Christi Domini prædicationem reflexi, quàm meritò id sentire debeamus, *quod nullus labor durus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria æternitatis, quâ Beati fruũtur, acquiritur*, expendere hodie velimus.

Confirmatio debet, aut potest constare.

Exaggeratione, singularum Beatitudinum; quæ omnino eæ sunt, ut illis rectè pensatis, exclamare necesse sit. *Nullus labor &c.* Regnandum enim E. g. beatis est: & in cælis regnandum: & quid hoc? & quantum? quantóque labore dignum? Pro domo una, pro familia conservanda, quantus labor suscipitur, & neque sic multum se laborâsse credit, qui quod desideravit assequitur. Statuatur autem præmium laboris, Regnum Poloniæ, Galliæ, Hispaniæque

niæque certò acquirendum; quid non tentabit humana, non dico ambitio, sed & gloriosum gerens animi propositum? Grachus apud Plutar. cum Pontificatum ambiturus in forum prodiret; atque per matrem, difficultatibus objectis arceretur: *aut mortuum me*, inquit, *hodie, aut Pontificem videbis*. Quis hic improbus pro pontificatu, ad mortem labor? quid verò pontificatus, quid omnia alia, ad Regnum cæleste: haræ comparatæ ad Palatium, casæ ad Templum. Quid enim hæc Regna? & quid illud? Primum recogita, aliud innuit D. Aug. Manual. cap. 7. *Ibi vita sempiterna, & sempiternè beata, ibi gaudiū sine mœrore, requies sine labore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine affectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate, omnia bona in charitate perfecta, & plena scientia in omnibus, & per omnia*. Expende quanti hæc constent, & quanti facienda, quando cum regno cælesti veniant. *Verè, verè nullus labor magnus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria talis æternitatis acquiritur*, sed pergit Salvator,
 Beati

Beati, &c. *quoniam ipsi possidebunt terram.* Minui res videtur. Quid enim, ni possideant, imo contemnant terram, quorum Regnum est in Cælis? At latet hîc ingens aliquid, & beatissimum, quod assecutus D. Hippon. Præsul. lib. 1. de Serm. Domini in monte. *Illam inquit credo terram, de qua in Psalmo dicitur. Spes mea es, tu portio mea, in terra viventium.* Significat enim quandam *soliditatem, & stabilitatem hæreditatis perpetuæ: ubi anima per affectum bonum tanquam in loco suo requiescit, sicut corpus in terra: & inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra: ipsa est requies & vita sanctorum.* Da mihi obsecro in terris, talem terram quæ sit terra viventium, quæ habeat soliditatem & stabilitatem hæreditatis perpetuæ, in qua tanquam in loco suo anima per bonum affectum requiescat. Heu! si tot laboribus ac ærumnis terra mortuorum, terra non habens stabilitatem, terra in qua non invenitur requies animæ, quæritur: *verè nullus labor magnus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur.* Simili modo, cæteræ beatitudines expendendæ essent & simili

simili sententiâ concludendæ, in quarum examine ad magnitudinem gloriæ sanctorum percipiendam, duo quoque illa, non immeritò consideranda, *Primò* quam variè sapientia summa, beatitudinem illam, exaggeret, appellando illam septies diverso vocabulo quod est, (humano modo loquendi) significare: rem talem esse, quæ satis explicari non possit, *Secundò* concludendo Beatitudinem ultimam, verbis initialibus, quoniam ipsorum est regnum cælorum, & omnes unà; beati, &c. Beati: Beati &c. quod eandem difficultatem exprimendi significat: & quandam abyssum felicitatis, de qua cum plurima dixeris, dicere tamen taliter non possis, quin reliqua profundissimo silentio involvas, illud iterando, quod toties dixisti, Beati: Beati. Ah verè! *nimium verè! nullus labor magnus, & nullum tempus diuturnum videri debet, quo talis gloria æternitatis acquiritur.*

MODUS XXXIV.

PRæfixâ propositione, rationes illius, non simpliciter proferuntur: sed initio cor-

confirmationis, adfertur aliqua historia, Symbolum, figura, atque adeo etiam Apologus, aut parabola gravis, propositioni præfixæ probandæ aut explicandæ apta: Tum verò subsumitur, rem de qua dicendum sit ita se habere, prout in historia, Symbolo, figurâvè est repræsentatum; atque indè, per ostensionem connexionis, similitudinis, proportionis aut alicujus veritatis sermo texitur E. g. dicturus supra illa verba Evangelii Matth. 23. Qui se exaltat humiliabitur, sic proponeres. Causâ æquissimam, hujus veritatis certissimæ, reddam. Pro confirmatione, adduceres Apologum, ex lib. 4. Reg. cap. 14. ubi provocatus ab Amasia Rege Iuda, Ioas Rex Israel, sic illi respondet. *Carduus Libani, misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens: da filiam tuam, filio meo uxorem: transieruntq; bestiæ, quæ sunt in libano, & conculcaverunt carduum.* Sensus Allegoriæ, explicatur sequentibus. *Percutiens, invaluisti super eodem, & sublevavit te cor tuum, contentus es gloriâ, & sede in domo tua.* Post hunc Apologum, subsumere deberes: quod, quæ causæ recensentur

ſentur ruinæ Regis Amaſiæ: cædem ſint cauſæ, cur, qui ſe exaltat humilietur. Propoſitio porro, dictarum cauſarum explicata, reliquum ſermonis compleret. Poteſt autem hæc, ſpectari in his: Quia, ſicut Amaſias Ioam provocavit, ita ſuperbus provocat Deum: Quia ſicut Amaſias provocavit inæqualem, & carduus libanum: ita ſuperbus, provocat inæqualiſſimum. Quia ſicut Amaſias, variâ eſt elatus victoriâ, ita ſuperbus vanis effertur ſuggeſtionibus, nec vult eſſe contentus ſuô, nec ſe cohibere domi ſuæ &c. &c. Advertendũ etiam hîc eſt, poſſe nonnunquam Apologos & parabolas ex proprio quoq; ſenſu condi, ſed in hac re magno judicio eſt opus. Liberalior eſſe potes in iis, quæ ſenſum aliquem, Sacræ Scripturæ parabolicæ offerunt, & deinde per ſententiam citatam, aut myſteriorũ fidei explicationẽ, innoteſcunt: ut ſi de Chriſto, ſub parabola Regis; de peccatore, ſub parabola rei; aut vincti diſſeras: aut, ſi ſimili modo, ſententias aliquas proponas, E. G. illam Prov. 10. v. 26. *Sicut fumus oculis, ſic piger &c.* poſſes tractare dicens. Magnatem quem-

piam

piam adiisse domum alterius cæterum ornatam & cultam, sed fumosam &c. sed sit præcepti generalis.

PRAXIS.

Feria II Paschatis.

Nonne hæc oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam Luc. 24.

Accessus & Propositio. Heri Christus infernos expugnavit, hodie expugnat mundum. Id nunc spectare placeat.

Confirmationis ingressus, per historiam quæ sancti similitudinem exprimat.

Narrât libri Iudicum cap. 16. Principes Philistæorum, acturos Dagoni, supra capto Samsone, gratias: congregatos fuisse in urbem Gasæ; atque inibi, post convivia celebrata lætantes, adduci imperâsse Samsonem: ut coram se luderet. Domus, erat plena virorum ac mulierum plaudentium ac tripudiantium: innitebaturque duabus columnis supra quas ut reclinaret, cum impetrâsset Samson; apprehendens ambas, invocato Domino Deo suo: adeoque fortiter concussit, ut domus rueret: & tria millia,

millia utriusque sexus, spectatorum sui ludi, occideret.

Confirmationis reliquum, per applicationem rei assumptæ, ad historiam citatam, & per ejusdem probationem.

Quid ni mundi ac mundanorum domũ huic Philistæorum comparem dicamus? domus Philistæorum, domus sacra Dagon; id est frumento: Domus mundi ac mundanorum, domus dicata escis. Domus Philistæorum, Domus convivantiũ, domus mundi, domus eorum, qui soli Deo ventri, continuò sacrificant. Domus Philistæorum, domus lætantium & plaudentium, nihilque de imminente periculo cogitantium: domus mundi ac mundanorum, domus tenentium tympanum, in manibus suis & ducentium in bonis dies suos, atque in puncto ad inferna descendentium. Utraque porro hæc moles duabus columnis nititur. Altera scilicet columna, cui domus mundi nititur, illa impiorum persuasio est, Sap. 2. *Cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur, tanquam mollis aura.* Altera, illa aliorum; *Venite, coronemus nos rosis &c.*

Fru-

Fruamur creaturâ tanquam in juventute, celeriter. Aut enim homines mundani, quales Athei, immortalem animam non credunt: sed Spiritum cum aura, post mortem diffundendum: aut, immortalitatem quidem non negant; sed se nunc frui posse mundo: ac deinde regnare cum Christo confidunt. Deturbat hanc utramque columnam, his dictis Christus: *nonne oportuit &c.* & mundum expugnat ac domum ejus fallaciamque evertit. Ruit ergo, prima columna, mundanorum & mundi, scilicet, incredulitas Resurrectionis & vitæ secuturæ. Nam apertè, post mortem, denunciat superesse gloriam suam & eam probat, resurrectione sua, ac ipso habitu peregrini, in quo hodie comparet. Eximiè id docet D. Gregorius verba hæc apud Barrhad. *Nonne oportuit Christum pati, &c.* cũ illis Isa. c. 28 cõferẽs *ut faciat opus suum, alienum opus ejus, ut operetur opus suum, peregrinum opus ejus,* hoc est, ait citatus Doctor. *Existimatis Discipuli alienum opus esse à Messia, pati & crucifigi? Alienum quidem est, & peregrinum: Sed hoc opus alienum, suscipere &*

facere

facere oportuit: ut faceret, opus suum: ut intraret in gloriam Regni sui: ut haberet regnum in hominibus, sanguine suo redemptis. Erigere qui hæc audis, & Apostoli monitum, ad Rom. 8. indubitatâ fide cordi fige. *Qui suscitavit Iesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora nostra. Sic ruet in te mundus, cujus columnam primam, exemplo Resurrectionis suæ, & gloriæ beatæ memoriâ, subruit Christus.*

Ruit porrò, & secunda columna mundi, ac mundanorum: scilicet, vana & falsa persuasio; posse aliquem, gaudere mundanè in mundo: & regnare cum Christo: *Nonne oportuit &c.* Christum ergo pati oportuit, ut intraret in gloriam suam: & te non oportebit pati, ut merearis gloriam non suam? vide argumentum efficacissimum, non jam ab utili, non ab honesto, non à convenienti, sed à necessario: adeoque intellige, in dialectica cælesti, terminos hos, *pati & obtinere gloriam*, convertibiles esse. Mutuo se hæc inferunt: si cum Christo vis regnare, cum Christo oportet ut patiaris. Unde idẽ Servator, *Ego inquit dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi*

R *Pater,*

Pater Luc. 22. Symmachus legit, *Ego promitto vobis Regnū, sicut promisit mihi Pater*. Quæris autem, quomodo Christo promiserit Pater? Quid quæris? quod habes. Oportuit pati, oportuit calicem bibere, quem universis in Ioanne & Iacobo propinans reliquit. *Potestisne calicem bibere, quem ego bibiturus sum?* Apoc. 22. *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas illis, in ligno vitæ: & per portas, intrent in Civitatem.* Vis scire? Quid sit lavare stolam in sanguine Agni? Audi August. in Psalmū 67. inquientem. *Tingis carnem tuam (hoc est stolam) in Christi sanguine, si vitia diluas, peccata detegas, mortem Christi, in carne tua circumferas.* Vis intelligere, quid sit intrare per portam? est ingredi per viam, à Christo designatam: viam crucis, viam Regiam. Nam, ut ait Tertul. de pænit. *Furto quidem aggredi facile est, sed Deus thesauro suo providet: nec sinit obrepere indignos.* Itur pessum mala columna: mala præsumptio mundi: eant pariter utræque columnæ: Ruat mundus, Triumphet Christus: qui nos, & veram immortalitatem, & veram,

ram ad immortalitatem viam, hodie edocuit.

MODUS XXXV.

TOta oratio, satis commodè formatur per Syllogismum: cujus partes probatæ, integram constituunt sermonem. Quæ autem pars, major, an minor, aut etiam conclusio, sit prius locanda: item minori, an majori, magis insistendum: pro materiæ ratione, est decernendum, cum hoc insuper adjuncto, ut conclusioni, debiti affectus, adhortationesque subjungantur. Sit nunc, in Syllogismo directo,

PRAXIS

Feria V. Cœnæ Domini.

Cum dilexisset suos, usq; in finem dilexit eos, Joann. 13.

ACcessus & Propositio. Si dignum admiratione spectaculum fuit, videre Salomonem in throno: de quo Cantic. 3. *Ferculum sibi fecit Salomon ex lignis libani; columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, medium constravit charitate*, dignū certè, admiratione est spectaculum, videre hodie

Christum, in terra prostratum, & ad pedes Apostolorum procumbentem. Nam, & plus quam Salomon hic, & magis admiranda majestas demissa, quàm sublimis. Supra cætera tamen in utroque spectaculo miranda, admirandum est medium: quod sicut Salomon, ita Christus, constravit charitate. Quod verò illud medium? antecessit cœna legalis & ablutio pedum: secuta est prolixa discipulorum consolatio, medium obtinuit institutio SS. Eucharistiæ. Planè medium constratum charitate, planè medium de quo dici possit, *Usq; in finem dilexit*, hoc est maximè, supremè, perfectissimè, ut explicat Chryso. Theophil. Euthy, apud Cornel. Id verò, ut melius pateat, adferam causam, qua probem, Christum, in institutione Eucharistiæ, & dilectione nos dilexisse quæ sit in finem, seu quæ egerit: quod maximum, dilectio vera egisse potuit.

Confirmatio, & totius Orationis textura, per Syllogismum.

Major. Dilectio quæ efficit, ut amatus & amans, fiant unum est dilectio in finem, agitque quod summũ agere dile-

dilectio potest.

Minor. Sed dilectio Christi in institutione Eucharistiæ declarata, est dilectio quæ efficit, ut Christus amans, & homo amatus sint unum.

Conclusio. Ergo dilectio declarata in institutione Eucharistiæ est in finem, seu quæ egit quod summum agere potuit.

Major.

Agere plus amor nequit, adeoque plus audere: quam ut amatum & amantem unū faciat. Herculeanis columnis, Carolus *Non ultra* sustulit: dilectionem sinceram, ultra eas metas, quibus amor amatum, & amantem in unum mutat, nemo promovebit. Cant. 8. *fortis ut mors dilectio: dura ut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis,* En triplex charitatis supremæ Symbolum, mortem, Infernum, Ignem. Quid mors, nonne quem possidet, mortem aliam quodammodò facit? & diffusum latè, cum vitæ profusione hominis non esse? Quid infernus? nonne quem obtinet, totum absumit, & in se redigit? Sed in igne, vis amoris clarius lucet, à quo materia

 teris

teria subjecta, ita absumitur: ut amplius, stramen lignumvè dici non possit: sed dicatur, & sit ignis: atq; unum in aliud mutetur, cumq; id actum fuerit, agi plus non potest. Idem fit in sincera charitate, non quidem in corporibus, sed in cordibus & affectibus. Transeunt dilectione amici in unum, & cum transierint, quod agat amplius dilectio, non habet. Hinc, si à sapientibus viris requiras, quid sit verus & summus amicus? respondebunt cum Aristotele 9. Ethi: *amicus alter ipse*, respondebunt, cùm Alexandro, de Ephestione. *Et hic alter ego*, respondebunt, cum Abulensi in 1. Regum. cap. 8. quæst. 1. *Cum aliqui veri amici sunt; tanta in iis est colligatio: quod jam, non sunt ut duo homines, sed ut unus.* Vides ne, ut amplius de summa dilectione dici non potest, quam si dicatur, quod amatus & amans, unum sint. Unde, necessario quoque concludi debet, quòd dilectio summa, plus agere nequit: atq; si amantem & amatum faciat unum. Addat veritati pondus, Beatissimus Aug. Conf. 4. cap. 6. de summo suo in amicum mortuum affectu, sic lo-

quem Bené quidam, dixit de amico suo, dimidium animæ meæ. Nam ego sensi, animam meam, & animam illius, unam fuisse animam, in duobus corporibus: & ideo horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere: & ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram. Huc quoque refertur, quod scriptura de Ionatha & Davide dicit, 1. Reg. 18. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ David: & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam,* quæ est suprema exaggeratio amoris.

Minor.

Quod jam dicam: cum id dicendum est, in institutione Eucharistica id à dilectissimo Iesu actum: ut ille, & homines unum essent. Patet veritas, testimonio ejusdem supremæ Veritatis. Ioan. 6. *Caro mea, verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Et rursus. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: ita & qui manducat me vivet propter me.* O dilectionem admirabilem! O unionem nunquam satis perceptam! vide interim ad

eam intelligendam: Quod, caro Christi, sit cibus, & sanguis sit potus, utrumque utique in comedentem mutari solitum: quanquam ut ait, idem Servator apud Augustinum in Confessionibus, aliter in hoc cibo res mutantur. *Cibus*, inquit, *grandium sum. cresce & manduca: & non tu mutabis, me in te: sed ego mutabo te, in me.* Vide rursus ad idem melius cognoscendum, quia Christus asserit, homines manducãtes se, vivere propter se: quod item, eam cum homine unionem indicat, qua vita unitur cum vivente: ut proinde sicut vita in homine; ita Christus, sit principium operandi: hoc est, sentiendi, intelligendi, volendi divinè, per actus conformes actibus Christi, propter quos dici possit. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus* ad Galat. 2. Hinc ea in homine mansuetudo nascitur, quæ in Christo; ea patientia, quæ in Christo; ea humilitas, quæ in Christo. Non me interea latet, majorem quandam unionem quam hanc, adeoque Physicam & realem asseri, à viris doctissimis: inter sacratissimum Christi corpus, & inter dignè illud sumentes: sed quicquid de eo modo
sit,

sit, illud infallibile est, quod Christus in iis, & illi in Christo, adeoque unum sunt: & quamvis non audiant aure, experiantur tamen in re, quod Servator D. Mechtildi, post communionem edixit. *Tu in me & ego in te, & in æternum non derelinquam te.* & Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi & ego illi.* Quærit hic D. Bernar. *O sancta anima, quid tuus ille tibi, quid tu illi? Quæ nam quæso inter vos, hæc tam familiariter favorabiliterq́; discutiens exhibitio, & redhibitio? tibi ille, tuq́; vicissim illi.* Sicubi, in hac certè secretissima Unione Dei & hominis meritò inquiras. Quid tuus ille Deus tibi? quid tu illi? nec aliud commodius responderis, quam quod ait *Au*gust. 26. In Ioan. *Da amantem, & sentit, quod dico; da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem, atq́; sitientem, & ad fontem patriæ æternæ suspirantem: da talem & scit quid dicam: si autem frigidè loquar, nescit quid dicam.* Interea, certum est ex illa unione, consequi unionem intimam affectuum. Certum est etiam, ejusdem unionis effectus redundare, etiam in partem sensitivam: atque

ipsum corpus dignè communicantium. Si te enim Phantasmata non molestant, si imaginationes turbulentæ non distrahunt, si passiones animi non turbant, si luxuria mitescit, si superbia non intumescit, gratias age corpori & sanguini Christi. Mirum autem, quòd quibusdam & vultus ad sacra altaria hilarescat, & facies lucem quandam, & Angelicum cum dignitate decorem præferat: mirum & felix; illud autem felicius, quod propter hanc unionem Christi cum hominibus, corpora hominum singulariter ab Angelis custodiantur; & ut asserit rursus D. Chrys. lib. 6. de sacerdotio, *corpora eorundem mortuorum, more satellitum iisdem stipantibus, in vitam æternam custodiantur.*

Conclusio.

O Deus? O amor? O humana ignavia! hîc sicubi meritò, illud Beati Ægydii supra cunas Christi infantis suspirantis, inclamem. *Amor non amatur, amor non amatur*, sed & illud ingeminem. D. Chrys. homil. 61. ad populum Antioch. *Hei mihi quot ad salutem nobis viæ? nos corpus suum effecit, nobis suum communicavit corpus, & horum*

nos

nos nihil à malis avertit. Non illi satis loquitur idem homil. 60. *hominem fieri, colaphis cædi & crucifigi: verùm & semet-ipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, verum & ipsa re nos suum efficit corpus. Verè hæc dilectio, est ad finem, summa ac suprema, cui cum nunquam dignè respondere possimus, saltem pro virili respondeamus.*

MODUS XXXVI.

MAjor Syllogismi interdum exordium occupat: Minor cum conclusione Orationem explet: Quod si Crinomenon, seu vis propositionis in majori potiùs consistat, minor exordium, major reliquũ sermonis conficit E. gr. si in Festo fundatoris alicujus ordinis dicturus; formares hunc syllogismum. Festa Divorum, qui sacros ordines excitârunt, decet nos gratissimo cultu & pietate celebrare: sed festum N. est tale. Ergo &c. hujus Syllogismi minore exposita in exordio; Major hanc propositionem conficeret. Dicam; quam gratè & piè obeundi sint dies, Divis fundatoribus sacri: quæ deinceps probata orationem impleret. Sed prior modus tractan-

tractandi frequẽtius obvenit. Unde ejus sit.

PRAXIS.

In Festo Nativitatis B. V. MAriæ, *Liber generationis Iesu Christi, Matth.* 1.

Syllogismus, quo tota constare debet Oratio.

Major. Qui liber, explicat, quid unusquisque à Deo sperare possit: hic liber diligenter relegendus, atq; considerandus est:

Minor. Liber generationis, qui hodierno festo, nobis offertur, talis est.

Conclusio. Ergo hic liber, diligenter relegendus atque considerandus est.

Exordiũ, per majorem propositam.

Multi multa legant, variisque authoribꝰ oblectantur; nihil tamen credo gratius legerent, sed & nihil gratius diligentiusq; legere deberent: quàm, si in eos codices inciderent, ex quibus, quo favore DEI utantur, & quo in futurum usuri sint, discere possint. Hac scilicet ratione & immensa mala, facilè evadere, & immensis bonis potiri possent.

Propositio. Non fallor Aud. hâc nos felicitate hodierna dies natæ DEIparæ donat,

donat. Quod quàm non vanè dicam, tum decerneris: cum me, de eo differentem, quod liber generationis, sit liber, explicans, quid unusquisque de se præsumere, ac deinceps à Deo sperare possit, audieritis.

Confirmatio, ex probata minore, quæ est idem cum propositione.

Ezechielis capite 2. narrans de se Propheta, ait. *Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me, qui erat scriptus, intus & foris. & scriptæ erant in eo, lamentationes, & carmen, & Væ.* Mirabilem sanè librum: qui sic gaudia, & lachrymas miscuerit: Non facile hæc jungant mortales, sed neque Deus ubi necesse est disjungit, quia, cum exæquo merita omnium penset, cui væ, væ; cui carmen, carmen; simul etiam, semelq; scribit. unde & in libro Ezechielis, simul hæc junxit: denunciaturus scilicet ex mente interpretum: *Væ peccatoribus, lachrymas & lamentationes pœnitentibus, Carmen justis:* atque hac ratione, propositurus unum librum, in quo unusquisque pro statu suo (qui triplex est, peccatorum, pœnitentium, & justorum)

legere

legere posset, quomodo res suæ haberēt apud Deum, & quid deinceps ab eodem sperare posset. Huic libro Ezechielis, compar est, liber hodie porrectus, liber generationis Iesu Christi. Quid nia scriptus ille liber intus & foris, & hic plenus enim est, innumeris undequaque mysteriis, Angeli manu traditus ille, Ezechieli, & hic D. Mattheo: cui ideo Angelus appingitur. Triplicem ille statum hominum respicit, & sub eo singulos concludit, similiter & iste. Væ ille peccatoribus, lamentationes pœnitentibus, carmen justis denuntiat: idem & hic facit: ut proinde, pro hoc statu triplici, quisque in eo, spes suas legere possit, ac inprimis

Væ peccatoribus.

Tales inter alios fuêre, Reges, Abias, & Achaz, in libro Generationis citati. De Abia 3. Reg. 15. *Ambulavitq; in omnibus peccatis Patris sui*, qui etiam hîc nominatur, scilicet Roboam. De Achaz habemus 4. Reg. 16. qui eò etiam in peccatis devenit: ut filium suum dæmonibus immolaret, quid deinde! Mali, male perditi. Væ ergo peccatoribus! Nil juvat illos, claro nomine,

nomine, nil alto ſanguine cenſeri, dum ſceleribus ſcatent. Ecce prædicti Reges, cum ſui paribus, ipſius Chriſti patres fuêre, de eorum ſanguine Matrem accepit, & corpus ſumpſit: & tamen æternum periêre, imo, *infelix* inquit Chryſoſt. Serm. 122. *quem ſic ipſa origo arguit, quem ſic ipſe lucis author addicit. Infelix cui in Iudicio pro magnitudine criminis, nõ miſereri genitor, non Pater ignoſcere, non affectus novit ſubvenire.* Meritò id, ſupra hos Reges, meritò, ſupra unumquemque peccatorem inclames *Quisquis es cujuscunque ſtatus es, ſi peccator es, Infelix es, quem ſic ipſa origo arguit*, væ peccatoribus. *Vivo ego*, dicit Dominus Ier. 22. *Si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.* Annulus, ſignum nobilitatis & excellentiæ eſt. Nemo tamen ſceleratus ei fidat. Contemnetur, abijcietur. *Vna vera, ſola, & communis cum Chriſto nobilitas eſt*, pergit aureum os homil. 45. *ut voluntatem Dei facias, hic propinquitatis modus, multò melior eſt. Poteſt qui non genuit eſſe pater, & qui genuit, non eſſe Pater.* De reliquo quanquam, ego, inquit

Domi-

Dominus, Psal. 81. *dixi, Dii estis & filii excelsi omnes, vos tamen* (nisi peccata caveatis) *sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis. Væ igitur* peccatoribus

Lamentationes Pœnitentibus.

Harum nos monet Ezech. Rex, & David, de Ezechia Isa. cap. 38. *Flevit Ezechias fletu magno*, de Davide item quis ignoret? & ipse de se profitetur Psal. 41, *fuerunt mihi lachrymæ panes, die ac nocte.* Felices lachrymæ, & omnibus gaudiis nobiliores, quæ sic Deo placuerunt: ut hi Reges in libro generationis inter pœnitentes scriberentur: ac proinde, de Deo sibi reconciliato gaudere mererentur. Scilicet, audire meruit Ezechias exauditam esse orationem ejus, & David 2. Regum 12, *Transtulit Dominus Peccatum tuum à te.* Quam verè Chrysol. *Quod defendi, non potest*, quam sanctè Bernardus Serm. 1. in Octava Paschæ, *Est baptismus aliquis, in compunctione cordis.* Sed planè, ad rem præsentem D. Chrys. in Psal. 50. *In codice, inquit, sunt scripta peccata tua, spongia peccatorum tuorum lachrymæ tuæ sunt:* effunde

effunde lachrymas & delebis. Ita factum est cum Ezech: ita cum Davide, qui in numero eorum, quibus væ, prius inclamatum, scripti: lachrymis, peccata sua deleverunt, ut hodie inter lamentantes legerentur. Videte Christiani, an vos, inter eosdem legi mereamini, & si meremini, lachrymas salutares fovete, ne similes efficiamini improbo Ezau: de quo Gen. 25. *accepto pane & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit parvi pendens quod primogenita vendidisset*: quin curandum esset, ut omnes imitaremur, Divam Catharinam Genuensem, quæ, in contritione cordis, per plures menses perdurans: illud solũ ingeminabat: *non ampliùs mundus, non ampliùs peccata.*

Carmen Iustis.

Tales hic plures numerantur; Abraham, Isåac, Iacob, Carmen Iustis, sed inprimis Iustissimæ, ac principi Iustorum Virgini Mariæ, hodie in mundum editæ. Carmen tibi & lætitiæ ô Diva Virgo! hoc libro scribitur, quia, IESU CHRISTI filii DEI MATER denuntiaris, ac inde omnium hominum felicissima, dignissima. Verè, te DEUs elegit, & præelegit, ô dilecta

Patris æterni, ô Mater filii, ô Sponsa Spiritus S. Gaudere igitur & exultare debes, debentque omnes tibi applaudere, & salutarium carmen dicere, ac beatam prædicare, inter omnes generationes. Carmen igitur tibi sanctissima infantula, sed & carmen in tua nativitate omnibus justis. 1. Quia in tua nativitate panditur liber, veræ generationis IESU Christi, & omnium electorum, 2. Quia tu es porta, de qua Psal. 117. *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam* 3. Quia tu es Dux omnium justorum, quos deducis ad terram promissionis, assimiliata columnæ ignis, & nubis, de qua Exod. 13. tria præcipua legimus: quod populum electum, Ducebat, Protegebat, Regebat. Sic equidem tu electos ad Patriam felicem ducis; etenim illis juxta Ambros. *species castitatis: & norma virtutis.* Protegis; inter Deum & illos mediatricem & promerendo, ut per te respiciens Deus, perdat inimicos eorum: *Regis*; ne aberrent mentem illustrando, & à devijs vitiis abstrahendo. Carmen igitur, in libro Generationis, cum tua nativitate justis.

MO-

MODUS XXXVII.

AD celandam artem Syllogisticam, major Syllogismi, loco suo subtrahitur: incipitque probatio, aut à ratione majoris, aut à confirmatione, aut à simili exemplòve: donec aptè circumductus sermo; aut majorem omissam, post ejus partes resumat: aut ad minorem & conclusionem annectatur.

PRAXIS

In Festo Assumptionis B. V. MARIÆ.

MARIA optimam partem elegit. Luc. 10

ACcessus & Propositio. Cum prædicta verba Deiparæ Virgini, hodie assumptæ, ita ab Ecclesia accommodantur: ut meliorem partem elegisse, cogitari non posset, quin etiam cum altera MARIA, sedens ad pedes Domini cogitetur: id porrò, nec congruum satis, hodiernæ solennitati, nec promptum intelligendo, censeri posse videtur, quomodo enim optima pars, quæ ad pedes humiliata? quomodo congrua gloriæ cælesti, quæ in terram adstrata? Cælum, cælum petunt oculi, cælum suspirat animus, ut assumptam Virginem

ginem & Dominam suam comitetur. Valeat terra, dum Mater, filios ad æthera provocat: valeant mundana, dum Regina cælorum, gloriosissimè apud superos triumphat. Utinam quàm id dicimus, tam sincerè, & animo optemus, & opere præstemus, Interea ad id ipsum magis excitabimur, cum expenderimus. Qua ratione, congruè ad hodiernam festivitatem, Beata MARIA, optimam partem elegisse censeri possit.

Syllogismus.

Major, Qui locum maxime humilem eligit, optimam partem eligit. *Ratio.* Quia secundùm mensuram humilitatis, mensuram gratiæ & gloriæ, DEUS partitur.

Minor. Sed MARIA Virgo, locũ maximè humilem elegit.

Conclusio. Ergo MARIA Virgo, optimam partem elegit.

Confirmatio à ratione Majoris, post omissam ipsam majorem.

Secundùm mensuram humilitatis cujusque, dona gratiæ & gloriæ à Deo obvenire, consentiens omnium Deo carorum sensus est. Edixit nimirum, ipsa suprema veritas, Matth.

Matth. 23. *Qui se humiliat, exaltabitur:* unde & sequi necesse est, humiliationem & exaltationem paribus gradibus crescere: ut quantò quis magis descendit, tantò etiam magis ascendat: majorique gratia ac gloria dignus, efficiatur. Sublimiter D. August. lib. 20. *de civit. Dei* cap. 18. de protoplasto. *Cùm esset humus, factus est DEVS: cùm vellet esse Deus, factus est colonus.* Scilicet Iacob. 4. *Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam*, atque juxta Richardum de S. Victore. in c. 26. *Cant. humilitas, est locus gratiæ Dei: adeò ut tantùm sit capax gratiæ aliquis, quantùm fuerit humilis.* Quod si gratiæ, igitur & gloriæ. Nam *exultabunt ossa humiliata.* Psal. 50. Longè sunt ab eo sensu ii, quorum vox Isai. 14. habetur. *Ascendam, super nubium altitudinem.* Sed quàm longè ab eo sensu, tam longe à gratia & gloria: tam etiam propè ad illud baratrum, de quo propheta ibidem. *Detracta est ad inferos superbia tua.* Ita omnino, res se habet, quod casuri graviùs, tolimur altiùs: sponte autem nostra depressi; gratia & gloria Dei, digni efficimur, atq; partem, quam Evangelium Christi,

optimam nominat, promereremur. *Major omissa resumitur.* Neque enim melius quicquam homini obvenire potest, quam gratũ Deo vivere: ac deinceps, præmia Regni cælestis, promissa, obtinere, tantòque id ipsum, melius est: quantò copiosius utrumque evenit, optimum etiam, si copiosissimum: quod solis humillimis sperandum.

Minor.

Quid hîc loquar? cum de Virginis MARIÆ humilitate dicendum est. Grande edictum, Andreæ Creten. Oratio: de Dormitione Deiparæ, *Solius DEI est, pro dignitate laudare Deiparam*, quod tantò certiùs hic asseruerim, quantò certior sum, quia ille est, qui *respexit*, & perspexit *humilitatem ancillæ suæ: fecitque, ut beatam illam dicerent omnes generationes*, Luc. 1. veneror humilitatem Magdalenæ accumbentis ad pedes Iesu, veneror & Petri, deprecantis Dominum: ut à se abiret: nemo tamen eorum, tam humilem locum elegit, quàm sacratissima Deipara MARIA: ut ideo, consensu Theologorũ, uno illo actu quo se in salutatione sui, Ancillam Domini nuncupavit, cum Mater

Dei,

Dei salutaretur: omnem aliorum humillimorum, excesserit humilitatem. Hoc enim de se sentire, non solùm erat, ante pedes domini jacere: sed infra pedes creaturarum, propter Deum amatum se prosternere: atque adeo, à summo dignitatis gradu, ad infimum descendere, quid enim altiùs Dei Matre? quid inferiùs, non jam libera, sed ancilla? placet pro merito, quod devotus ejus cultor asseruit. Mundus MARIANUS dispu. 22. n. 6. MARIAM, dum illa verba humillima proferret, factã Abyssum quandam inscrutabilem: & immensum quoddam vacuum, ad quod, Deus humilium amator inclinaret; sed non pro illo tantùm momento talis fuit: verùm nunquam alia, in oculis Dei vixit, meruitque.

Conclusio.

Ut optima pars ei obveniret: atque immensis gratiæ donis, dum viveret; & gloriæ muneribus, hodiernæ assumptionis die, repleretur: hinc Richar: ubi supra, de ejus humilitate loquens *sicut*, inquit, *virtutem hanc perfectè & totam possedit: ita totam eam gratia implevit, totamq; decoravit*

At Ildephon? Serm. 22. de assumpt. de muneribus gloriæ. *Sicut*, ait, *est incomparabile, quod gessit: & ineffabile quod concepit*: ita *incomprehensibile præmium gloriæ, quod meruit*, solent Geometræ ex planta seu pede molis, ejus metiri altitudinem. Liceat & nobis, ex hac veluti planta & pede, secus quem sedens MARIA hodie describitur: hoc est, ex ejus humilitate, metiri ejus altitudinem. At, id quoque impossibile est, cum utrumque satis capi non possit: illud ergo dixisse sufficiat: quod quemadmodum humilitate descendit, ad infimos pedes: ita gloriâ ascendit, ad supremum caput, scilicet Christum, quemadmodum ab Apostolo nominatur. ad Ephes. 1. & ad Colos. 2. Non est enim in terra, neque in cælo tam veneranda, tam sublimis dignitas secundum Christum, caput nostrum, atque MARIÆ. 1. Caput est Christus, omnium creaturarum: propter excellentiam, naturæ humanæ, conjunctæ cum Divina: proxima secundum hoc caput, dignitate D. Virgo conjunctionis tantæ, mirabilis artifex, Mater Dei & hominis dignissima. 2. Caput est Christus, propter excel-

excellentiam imperii: est enim ex vi naturæ, Dominus ac Rex cæli, & terræ: proxima secundùm Christum Dominum, Diva Virgo MARIA: est enim naturæ jure, Domina ac Regina omnium. 3. Caput est Christus, quia est principium, & causa prædestinationis electorum: proxima secundum Christum, D. Virgo MARIA: quia neminem vult Deus salvare, nisi per illam. 4. Caput est Christus, propter excellentiam sanctitatis, quia impeccabilis fuit; proxima secundum Christum, D. Virgo Maria: quia nec originali, nec actuali peccato, singulari prærogativa subjecta 5. Caput est Christus, propter gubernationem Ecclesiæ; proxima secundum Christum, D. Virgo MARIA: à qua immensa bona, continuò profluunt in Ecclesiam. Sic humillimè demissa, altissimè elevari meruit: atque optimam partem, possidere. *Quicquid post Deum pulchriùs,* Bonav. in speculo. *Quicquid dulce, quicquid jucundum in gloria est, hoc MARIA, hoc in Maria, hoc per MARIAM est.*

Sit ei, ac inprimis ejus filio, honor & gloria.

MODUS XXXVIII.

NOn Syllogiſmo modo, ſed & uno Enthymemate, integra conſtituitur Oratio: antecedente pariter & conſequente propoſitione probata.

PRAXIS
Dominica in Albis.

Stetit Ieſus in medio & dixit: Pax vobis. *Ioan. 20.*

ACceſſus & propoſitio. *O quàm deſiderabile nomen Pacis! quàm religionis Chriſtianæ, ſtabile fundamentum! & altaris Dominici, cæleſtis ornatus!* inquit D. Severianus initio Serm. 5. ſed quàm cara; tam rara eſt pax. Ecce verò illius obtinendæ, certum hodie medium edocetur: cùm ſtetiſſet IESUS in medio, & erit pax in mundo. Id præſenti ſermone monſtrabo.

Confirmatio per Enthymema.

Antecedens. Bellorum cauſa, ſunt peccata.
Conſequens. Ergo ut ſit pax, ſtatuendus IESUS in medio.

Antecedens.

Pericula, mors, bella, peccati malus fætus

fætus ſunt; peccato in cælis invento; factum eſt prælium magnum Apocal. 12. ambitione inter homines, malè exoriente, *Iuſtin. Ninus primus bella fecit.* Habet vita, Ioannis Servi Dei Fernandium, virum nobilem; ſuſcepta prò animarum converſione ſervi Dei opera, non ſatis benè interpretantem, ſecutum illum clam fuiſſe, cum Ioannes domum ei ſuſpectam, ſubiret. Ecce verò dum ante illam moratur, videt in fronte domûs, omnia peccata ſua deſcripta, ſibi repræſentari: & gladium, vertici de cælo impendere. Admirabile, & terrificum miraculum; toti mundo, ea parte commune, quod peccatis gladius impendeat, de quo Ezech 21. *Mucro, mucro evagina te ad occidendum, lima te ut interficias, & fulgeas.* Quid ita? *Venit dies, in tempore iniquitatis, præfinita.* Anachoreta pius, ſolicitas DEO fundebat preces: cum à tergo ingens clamor infremuit. Bellum, bellum. Territo & admiranti anachoretæ reſponſum ab humani generis hoſtibus. *Deſine orare, & deſinemus bellare.* Licet æquiſſimo jure, id verborum immutemus: & toto orbi, audienda voce incla-

inclamemus. Desinite mortales peccare, & cessabunt bella bellare. Cæterum, *gladius devorabit vos*, inquit *Dominus* Isa. 1. v. 20. *si me, ad iracundiam provocaveritis.*

Consequens.

Quod si ita est, si pacem dari mundo, si Regnis, si nobis cupimus, Christum necesse est, medium inter nos, & Deum offensum, statuamus. Causam D. Apostolus 1. ad Timot. c. 2. v. 6. quia est, *Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem, semetipsum pro nobis.* Hoc igitur in medio statuto, ac inter nos mediante: Deo reconciliari, & pacem licebit obtinere. Gen. 15. cum Abraham offerret Deo divisit oblationes per mediū: *Et apparuit Clibanus fumans, & lampas ignis transiens, inter divisiones illas.* Mysterium, hac ratione, pacis cum Deo ineundæ à nobis, ut notat Cajet: hic agebatur: mediusque clibanus, & lampas Christum signabat: qui, in medio nostri constitutus, pacisceretur de nobis. Succedit aliud Num. 16. Occisis cælitus, propter seditionem, quatuordecim & septingentis, de populo Israel: dixit Moyses ad Aaron.

Tolle

Tolle thuribulum & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergeque cito ad populum, ut ores pro eis. Factum. *Stansque Aaron, inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est & cessavit plaga.* Sapite Christiani, & dum bella, dum mortes sæviunt: Aaronem meliorem, Pontificem vestrum Iesum Christum, placare contendite: ut dum steterit, inter vivos & mortuos cesset plaga, Ezech. nono. Missis Angelis ultionis, in quorum manibus vasa interitûs: visus est vir unus, *in medio eorum:* qui quemcunque signâsset innocuus intactusque durabat. Vir hic juxta Gregor 22. Moral cap. 13. est Christus. Hic in medio nostri stet necesse, & malis gladii, ac interitûs non tangemur. *Filioli mei*, inclamat Ioannes Epist. 1. cap. 2. *hæc scribo vobis, ut non peccetis: sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, quod planè divinè explicans D. Ambros. lib. 1. de Isaac his rationem mediatoris in Christo commēdat. *Ipse Christus, ore suo felle & aceto potato, os nostrum est, per quod Patri loquimur; corde*

suo,

suo, quod lancea transfixum est, cor nostrum est, per quod Patrem amamus: oculi ejus sanguineis lacrymis fluentes, oculi nostri sunt, per quos Patrem videmus: manus nostræ sunt, per quas nos Patri offerimus: pedes ejus vulnerati, pedes nostri sunt, per quos, ut filij prodigi redimus ad Patrem: ut totus salvator, quantus est, & quicquid in eo est, nobis patrocinetur. Habemus, cui fidamus mortales, habemus, quo mediatore in tot bellorum malis utamur. Ah demus nostro bono, nostris minimum malis coacti, medium Iesu locum! sit medius & mediator, sit medius inter nos, & Deum deprecando: sit quoq; medius, inter proximos, charitatem mutuam fovendo: sit medius in corde, illud possidendo. Sit medius in judiciis, justitiam prosequendo: sit medius in castris, virtutem fovendo: sit medius in consiliis, retracta suggerendo: sit medius in privatis domibus, innocentiâ incolarum se oblectando; & eveniet, ut sit, *Pax vobis.*

MODUS XXXIX.

SOlum nonnunquam antecedens, aut conse-

consequens probatum, totam sufficiens est constituere orationem. Unde sequitur, posse quoque ex Antecedente accessum & exordium, formari: ut consequens probetur: & posse consequens in Exordio poni: sicut & conclusionem Syllogismi, initio Syllogismi. Sed tunc, iterum, in fine, consequens aut conclusio repetitur, aut affectus proportionati materiæ, subjiciuntur. E. g. Dominica 15. à Pentec. supra illa verba. *Ecce defunctus efferebatur*, posset formari tale Enthymema. Spectaculum acerbum, communis in uno mortalitatis, proponitur. Ergo merito, magna reflexione expendendum: & inde, oratio à consequente inchoari. Nimium incurij sumus, si adhuc hodie, per varia divagamur: & non toto animo huic tumulo affigimur. Res nostra agitur, nostra omnino, & non solius viduæ Matris: quod ut credatis, ostendam hunc juvenis unius tumulum esse, communis mortalitatis spectaculū. Rursus, posset item, supra illa verba Dominicæ primæ post Pentecost: *fecit cænam magnā & invitavit multos*, hæc constitui argumentatio. Qui vocat ad cænam, est Christ⁹:
Ergo

Ergo est parendum: & tunc; antecedens aptum esset obire vices Exordii. Consequens autem, deberet probari & perurgeri. Sed sit aliqua, pro more, præcepti principalis

PRAXIS.

Dominica VI. post Pascha.

Hæc dixi vobis ut non scandalizemini. *Ioann. 16.*

A*Ccessus & Propositio.* Quemadmodum discipulis periculum scandali imminebat, ex Christi passione: ita sæpè, probis etiam viris, occurrit ex malorum successibus & adversitatibus bonorum, quod eas, pro signis irati numinis habeant. Ne ergo in talibus occasionibus scandalizentur, demonstrabo, contrarium: quod nihil in mundo pati, sit signum insigne, graviter irati numinis.

Confirmatio, per Enthymema.

Antecedens nihil in mundo pati, est signum, quod Deus aliquem, à sua cura abjecerit. Consequens. Ergo non debent bonos, scandalizare mali, quando non patiuntur. Hujus Enthymematis, Antecedens solùm

solum probatum, facile constituet orationem: cum consequens, apertè sequatur, aut breviter inferatur. Paradoxum videri posset, quod proponitur nisi id, tam clarè sacræ literæ docerent, quod nullus dubitandi locus relinquatur Ezech. 16. *Auferetur Zelus meus, à te, nec irascar amplius,* quis non diceret hoc promisso felicem Ierusalem? sed nimiùm quam infelix: cum mox subjiciatur. *Ergo & tu, confundere, & porta ignominiam tuam,* quod significat, illum à quo Deus aufert zelum suum, ne illi malum immittat: sibi relinqui, & à cura Dei abjici, quæ ira Dei, gravissima est. Explicat idem August. Serm. 37. de verbis Domini tali proposita quæstione. *Vis nosse, nulla pœna, quanta sit pœna? Davidem interroga,* qui ait Psal. 9 *Irritavit Dominum Peccator. Quare, quid vidisti? vidi peccatorem impunè luxuriantem, & exclamavi. Irritavit Dominũ peccator. Quare hoc dixisti? Vide quid sequitur. Secundùm magnitudinem iræ suæ non quæret: ideo nempè non exquiret, quia multum irascitur.* Origen. homil. 8. super Exod. misericordiam Dei cum Iustitia comparaturus. *Vide*

inquit misericordiam, & pietatem, & patientiam boni Dei, quando vult misereri: & indignari se dicit & irasci, sicut per Ierem. cap. 6. ait: *dolore, & flagello castigaberis Ierusalem, uti ne abscedat anima mea abs te.* Hæc, si intelligis, miserationis vox est. Vis audire indignantis Dei terribilem vocem? audi quod dicit per Oseam cap. 4. ubi cum enumerasset multa nefanda quæ Ierusalem commiserat addit. *Non visitabo super filias vestras, cum fornicantur, neq; super sponsas vestras, cum mæchantur.* O voces, nisi utraque aure obsurduerimus gravissimas. O iram ingentem Dei! non punire, nec sinere malos tali quid pati. Verùm, non ita id sentiendum, ut in solis improbis, illud sit verum: nihil pati, esse signum irati Dei. Universim hæc persuasi esse debent. Deus enim, quem diligit castigat, & quem non castigat non diligit, soli illi, ab ira Dei, & interitu apud Ægyptios, atq; Ezechielem liberi; qui crucis signo litera Tau insigniti: nec causa rei difficilis scilicet, quod qui adversa non sentiunt facile fortunæ blanditiis corrumpuntur, ac pereunt Psal. 52. *In labore homin⟨um⟩*

non sunt, ut cum hominibus non flagellabuntur: ideo, tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua. Fieri non potest, ait Græcus Poeta, *ut fortuna, mentem habeat* & Seneca Epist. 94. *quasi ista contraria sunt: bona fortuna, & mens bona:* deniquè Horatio judice. *Naturam plerumq; fortuna corrumpit.* Sed habemus, firmiorẽ his sermonem scripturæ, quæ narrat de opulentissimo epulone, apud D. Lucam: tot illum bonis abundâsse, ut in plures quoque annos, abundè desiderata sufficerent. Quid inde? *Purpura, bisso, delicatis vestibus, epulis blandis;* fortunæ utique indulgentis blanditiis, *ferrea viscera, crudelis anima nutriebat:* teste Chrysol. unde, & sepultus in inferno. De Salomone D. August. lib. 15. de Civit. DEI capite 19. *Bonis initiis, malos exitus habuit*, dat statim causam. *Quippe secundæ res, quæ sapientum animos fatigant, magis huic obfuerunt: quam profuit, ipsa sapientia.* Abundantissimè rem totam Isai: cap. 26. v. 10. edisserit: quando, hæc loquentem Deum inducit: *Misereamur impio, & non discet justitiam facere in terra sanctorum iniqua*

 ges-

gessit. & non videbit gloriam Domini. Hoc est; fiat, ut bonis malis fruatur: & ut nihil mali patiantur, qui in terra Sanctorum degunt, & recti videntur, hinc sequetur, ut dediscant Iustitiam, scelesti evadant: Addit Bernardus Serm. 42. in Cantic. & rem nostram concludens, pro nobis, merito locutus. *Tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur. Misereamur*, inquit, *impio, & non discet Iustitiam. Misericordiā hanc ego nolo; super omnem iram miseratio ista, sapiens mihi viam Iustitiæ. Volo, irascaris mihi Pater misericordiarum, sed illâ irâ, quâ corrigis devium: non quâ, extrudis de via. Illud nobis; benigna tua adversio parit: hoc, formidolosa nutrit dissimulatio. Cum enim, sentio; te iratum: tunc maxime confido propitium. Etenim, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Attendite ad hæc piæ animæ, ut cum successus aliorum: & vestras patimini adversitates, non scandalizamini. Felicissimus, quisquis extrema quæq; patitur, dum Deum amicum habet: Infelicissimus, quisquis indulgentissimè à fortuna fovetur, cum Deus, illi inimicus est. Delphinum

Camer.

Camer. pinxit, in mari ludentem, cui inscriptum. *Metuenda procella.* Taurum alter liberè per pascua vagantem, cui præfixum. *Devotus victimæ.* Hæ sunt spes, continuo gaudentium: & nihil adversi tolerantium: Hi sunt, super quos inclamat D. Præsul. Hippo. in Psal. 72. *Attende illos superbos, illos indisciplinatos; attende taurum devotum victimæ, permissum errare liberè, & vastare, usque ad diem occisionis,* O Domine! O Pater, misericordiarum! *Hæc mihi sit consolatio.* Iob. 6. *ut affligens me dolore, non parcat.* Vel sanguine subscripsero, quod cum Greg. lib. 7. opto. *Qui ideo, hic quibusdam parcit, ut eos in perpetuum feriat: ideo me hic feriat, ut hic non parcendo, in æternum parcat.*

MODUS XL.

PRæfixa propositione, duæ aut tres, pluresvè causæ eam probantes assumuntur, quæ dicuntur, *Principales*, singulæ deinde seorsim rationibus minus principalibus probantur, exornantur, amplificantur, atque hoc pacto plenam constituunt

orationem. Modus hic *Primò* fundamentalis est: & per reliquos sparsus: ut proinde in gratiam Tyronum, merito hîc tabellam subjiciam, cujus in cæteris quoque argumentationibus meminisse juvabit: ut hoc veluti filo, in ratiocinando ducantur.

Præfixa igitur propositione, ponitur.

1. Ratio Principalis, ipsam propositionē directè probans.
2. Ratio Rationis Prioris, seu Principalis.
3. Confirmatio Rationis, à causis, adjunctis, similibus, &c.
4. Exornatio, ab Exemplis, testimoniis & quavis eruditione.
5. Amplificatio, seu exaggeratio dictorū, à paribus, imparibus, majoribus, minoribus.
6. Illatio Propositionis, quæ interdum apertè, occultè interdum fit: & sine ejus mentione expressa, ad secundùm ordinem transitur.

Hoc expleto, assumitur rursus.

1. Ratio altera, item principalis, propositionem ipsam directè approbans,
2. Ratio, Rationis secundæ Principalis.
3. Confirmatio rationis secundæ & reliqua ut supra.

Idem

Idem cum tertia, & pluribus rationibus fieri debet: siquis eas adhibeat: unde Tyrones ut connexioni assuescant, dum propositione præfixa, rationem unam assumunt, nihil de alia, cogitent: sed unam premant: quam postea quam, sufficienter excoluerint, tum ad aliam animum applicent, videantque ne probationes alterius, rapiantur, & sic de reliquis.

Secundò Modus hic, est amplissimus ingentiumque materiarum, capax E. g. de universa Servatoris Passione dicturus, posses unius facti, aut dicti mysterium, per causas tractando de tota Passione disserere v. g. reddendo causas, cur Caput moriturus inclinaverit? En vero Mysterii causam primam, ex Theop. apud Baron. tom. 4. lib. 7. *Nos primùm expiramus, & deinde inclinamus caput: ille autem prius inclinavit caput, deinde expiravit: ex quibus omnibus, non nisi significatur, quod ipse fuerit Dominus mortis.* En secundam. ex Ruper. lib. 4. in Ioan. quod scilicet inclinaverit, fatigatus, id significant verba Ruperti, supra illa verba, *IESVS autem fatigatus sedebat,* sic ita loquentis. *Quomodo*

in fonte relucet solis imago, sic ista Domini fatigatio, fatigationem alteram spectat, quàm ipse in arcano divinitatis suæ, meditabatur concilio, Quam ergo sui fatigationem meditabatur. Iesus ipse ex itinere suæ humanitatis vera passione, veris doloribus, & sua morte erat fatigandus. Hoc igitur cum factum est, inclinavit caput! En tertiam, ex Bernardo Serm. de passione. *Inclinato capite, Christus factus obediens, usq; ad mortem, tradidit spiritum.* En quartam, ex Origene 13. in Matth *inclinavit Christus caput, & quasi supra Patris gremium, illud reclinans, exiit.* En quintam, ex August. *caput habet inclinatum ad osculandum* lib. de Virg. His adde, inclinâsse caput, ut significaret se colere Patrem, usque ad mortem, ut reciperet è limbo liberandos, ut valediceret circumstantibus, ut notaret Margaritam in pectoris sui agro latentem, qua nobis Regnum cælorum emeretur; hoc est, reliquum aquæ & sanguinis de vulnere lateris profluxuri. Has causas singulas, aut illarum præcipuas, si rectè tractaveris, ingentem dicendi campum explebis, sed sit,

PRA-

PRAXIS

In Festo S. Iacobi Apostoli.

Potestis ne bibere calicem, quē ego bibiturus sum. Dicunt ei; possumus. Matth. 20.

CAlix quem Domin⁹ propinavit Ioanni & Iacobo, calix mixtus morte & sanguine fuit. Mirum idcircò meritò esse potest, quod tam alacriter sit susceptus. Longè interea diverso animo, à multis suscipitur, quamvis non tam acerbo potu repletus propinetur: Hinc ut illorum resolutio miranda, ita horum ignavia vituperanda: quam ut excutiam⁹, videamus, quid nobis persuadere possit, ut eum, dum porrigitur, alacri animo suscipiamus.

I. Ratio Propositionis Principalis

Alacri animo, hic Calix suscipiendus,

Quia Calix est.

Primùm Condimentum est huj⁹ calicis, ipsum Calicis nomen, Non maria scilicet nobis adversitatum propinantur, sed nec flumina, aut inexhausti cadi. Totum quod sumi debet, calix est. Autenim, argumentabatur Stoicus, adversitas magna est, aut levis. Si magna est, diuturna esse non potest: si levis est, non premit atq; sic utrinque

calix modicus est. Propinat quidem Deus & calices, quorum fex non exinanitur Psalm. 74. sed hos bibunt peccatores terræ, discipulos autem & fideles Christianos, modica nimium amaritudine perstringit. Unde & Paulus, momentaneum & leve tribulationis appellat: & ipse Christus alibi, Grano sinapis & modico fermento eas assimilat: vetus proverbium habet. Non arare Deum in bove, & asino: quod est non imponere onera viribus graviora, sed dare cum tentatione proventum, Matthæi 20, Improbi operarii, de mercede non contenti, labores suos exaggerant, *Portavimus pondus diei & æstus*. O quantillum, quantis verbis exaggerant! Non annum, non menses, sed diem memorant, & pondus vocant, sic multi, malè patientes, labores suos, adversitates iniquè æstimant, ac ingens aliquid atque portentosum concludunt, cum tamen vita tota nostra, non aliud sit, quam quod hodie appellatur, ad Heb, 3. unde omnes acerbitates minimè censeri possunt onerosæ, sed breves sunt, calix unus sunt, uno generosi animi haustu, alacriter absumendus.

2. Ratio

2. Ratio Principalis. Quia calicem hunc prius Christus bibit.

Secundùm Condimentum hujus Calicis est, quia Christus prælibavit unde subdit. *Potestis ne bibere Calicem, quem ego bibiturus sum.* Egit Clementissimus Dominus nobiscum, sicut soleat agere medici cum nauseabundis ægris, quos ut animent, potiones medicinales, quantumvis amaras prægustant. Sic & Christus Dominus, ut nobis Calicem hunc gratum redderet, ipse prior sumpsit Cant. 4. *Favus distillans labia tua*, quid ni ab his potio amara dulcescat. Unde August in Matt. *Alliciens* inquit, *quem ego bibiturus sum, ut ipsa cum eo communicatione laborum promptiores redderentur.* Suadebat olim Stoicè Annæus Epist. 98. *dic, tibi existis, quæ terribilia videntur, nihil est invictum? Singula vicère jam multi. Ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates & nos vincamus aliquid.* Melius ad eadem adversa ferenda animabit, se Gregorius. *Mecum Abel occiditur à fratre, mecum Loth vexatur à civibus, mecum Agar ejicitur à Domina, mecum Iacob patitur famem,*

mecum

mecum Ezechias ægrotat ad mortem, visu orbatur Tobias, Iob filiis & bonis: exulat Helias, secatur Isaias. Perge dum placet, Crucifigitur Petrus, gladio necatur Paulus, occiditur Iacobus, torretur oleo Ioannes. Magna hæc omnino virtutis exempla, quibus illud Prophetæ subjeceris Ier. 49. *Ecce quibus non erat Iudicium ut biberent calicem, bibentes bibent, & tu quasi innocens relinqueris?* Nihil interea in adversis æquè animare valet, atq; Christi exemplū, ut nullo modo possit illi desipere Christi calix, cui Christus sapit. Dedit ejus rei specimen recens, suo obitu Iustus Lipsius, vir diuturnâ sæculi eruditi memoriâ dignissimus: quem cum ægrotum solarentur amici, atque suum argumentis roborarent animum: ille ostensa CHRISTI patientis effigie. *Hæc ait, est vera Patientia Christiana:* eò quòd Christus pro nobis passus, is sit, qui suo exemplo omnem adversis acerbitatem adimat, adeoque omnes ad calicem hodie propinatum alacriter sumendum movere possit.

3. Ratio Principalis. Quia hoc calice Regnum propinatur.

Ter-

Tertium condimentum hujus calicis est, quod nos ad illum alacri animo sumendum movere possit, regnum in eo propinatum. O si hac conditione regna terræ propinarentur, non calices sed fluvii acerbissimæ potionis toto ore sorberentur. Scita est pro filio Nerone, Matris ejusdem ambitio, quæ cum ab auspicibus accepisset filium si regnaret, se occisurum occidat inquit dum regnet. Siccine ergo regnum terræ speratum, efficiet ut mortes promptè bibantur: regnum cæli propinatum id præstare non poterit? at palam propinatur id n. petentib⁹ dicitur. *Potestis ne cal. bibere.* Cleopatra cum unionem pretiosissimum in potione Antonio porrexisset subjecisse fertur, regnum bibisti Antoni. Optimo jure, id patienti Christiano dixeris; propinat⁹ est Calix calumniæ, & sustinuisti, Regnum bibisti Christiane. Porrectus est Calix ægritudinis, & æquo animo excepisti, Regnum bibisti Christiane. Oblatæ injuriæ & opprobria & concoxisti, Regnum bibisti Christiane, gloriarique meritò cum Psalte potes Psalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei,* Eximiè D. Ambr. de

tenta-

tentatione Christi. *Qui vult coronam dare tentationes suggerit, hoc est calicem propinat. Et si quando tentaris, agnosce quia paratur corona. Tolle certamina, tulisti coronas, tolle cruciatus, tulisti beatitudines.* O absit illas tollamus! quin ad eas promerendas, amaritudines temporaneas, generoso animo suscipiamus; & calicem tribulationum, alacriter sumamus, ut inter illos connumeremur, de quibus Servator. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnũ cælorum.*

MODUS XLI.

SImiliter, ut prior constituitur ex causis aliquot Principalibus Propositionis, redditis & tractatis. Nihil autem refert, utrum sint causæ ejusdem generis, an dispar's, ut alia scilicet sit efficiens, finalis alia, alia formalis, denique materialis, quanquam & hunc ordinem servare, cui libuerit licebit. Interea hac ratione differt hic modus à priori, quia in priori, ita tractantur causæ aliquot ut omnes unam rem concludãt, hic autem singulis causis, suæ doctrinæ illationes, adhortationes adnectuntur.

PRA-

PRAXIS

Dominica infra Oct: Epiphaniæ.

Ascendentibus illis Ierosolymam secundùm consuetudinem diei festi, remansit Puer IESVS in Ierusalem. Luc. 2.

A*Ccessus & Propositio.* Templũ hodie Ierosolymitanum puer IESVS adiit, atque ibidem remansit, sequamur euntem, & remanentem adeamus: ut perpensis causis, hujus in tam tenera ætate aditus, ad observationẽ debitam nos cõ noveamus.

1. Ratio Principalis aditus templi, ut ostenderet, suam sedem esse templum.

Adiit puer Iesus templum, adiit Paterfamilias domum suam, adiit Princeps Palatium suum, adiit Rex Thronum & sedem suam: ut ipsa re declaret quod prædixerat apud Esech. 43. cum Prophetæ templum olim ædificandum, monstrâsset. *Fili hominis, locus solij mei, & locus vestigiorum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum.* Hunc igitur locum, hoc solium hodie occupavit, futurus nobiscum in eo, usque ad consummationem sæculi, nec minus de hoc loco quam de

coelo

cælo dici possit. Hic locus solius Dei est unde & Psal. 10. utrumq; prophetice jungens, *Dominus in cælo sedes ejus, Dominus in templo sancto suo*: hic est ille idem Dominus, qui sedem fixit in cælo, pari præsentia adest, resideťque in templo; quanquam in cælo conspicuus, in templo velatus. Confundi igitur gravissimè debemus, nisi hoc ita cogitamus, ut simul in templis ea reverentia, quam Dei præsentia requirit; versemur, O si liceret cælestibus sese immiscere cohortibus, facile ab iis disceremus, quo cultu divi cælites, Dominum suum colant, quovè nos eundem, in templo colere debeamus. Apoc. 4. vidit Ioannes, ostium apertum in cælo. Quid inde? *Et ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens*. En Regem, & Dominū nostrum, in cælo & templo residentem? Quod porro ejus famulitium? Ante ipsum Thronum, erant 7. lampades, qui sunt 7. Spirit⁹ Domini. Secundò quatuor animalia, quorum facies, leonis, bovis, aquilæ, & hominis, Tertiò viginti quatuor seniores sedentes super thronos, circum amicti vestimentis albis, & in capitibus eorum

coronæ

coronæ aureæ 4 Angeli ſtabant in circuitu throni ejus. 5. aſſiſtebat turba, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis. O admirandam majeſtatem? O dignitatem, Dei noſtri incomparabilem! Multùm noſtri intereſt cognoſcere, quid hi Throni ſtipatores agant. Scilicet ut ibidem notatur. Spiritus Seraphici continuo amore flammant, Cherubini & animalia quatuor, non habentes requiem, die ac nocte, Sanctus, Sanctus proclamant: Principes & poteſtates, ante ſedentem in Throno, coronas jactant, Angeli in faciem ſuam ſternuntur, univerſa turba unâ voce, *Salus Deo noſtro, & qui ſedet ſuper thronum*, perſonat. Erigere fides Chriſtiana! & confundere ignavia, *Dominus in cælo ſedes ejus*, *Dominus in templo ſancto ſuo*. Idem Dominus, idem Deus, quid ergo torpes? imò quid tam irreverenter, oculos, os, verba in præſentia illius jactas? Vide quid debeas. Si Seraphinus es, cura ut in templo in præſentia divinæ majeſtatis cor tuum, animusque, tanquam lampas ſuccendatur. Si Cherubinus & conſcius tibi laborum pro Deo toleratorum

ut bos: fortitudinis perfectæ Christianæ, ut leo: mentis cælo addictæ, ut Aquila: vitæ dignæ homine, ut verus homo: nihilum tamen tuum agnosce: & Deo Sanct° Sanctus inclama. *Si* Princeps es, si potens, si Rex, si Imperator, diadema tuum, ante altaria sternito. *Si* Angelus, in terram procumbito, si quispiam de populo Dei, salutem Deo & agno dicito, absint loquelæ, absint cachinni, absit omnis levitas, eheu! sicubi, hic certe nunquam levis. O rem intolerabilem! *Dominus in cælo, Dominus in templo sancto suo,* & tamen, qui colitur in cælo, temnitur in terra. Prô pudor! prô vesania! Ignes illi purissimi, libenter ad Dei gloriam uruntur, titio inferni salutis flammam non admittit! Cherubini pleni oculis, certiq; salutis, oculos levare ante Deum non audent: vespertiliones & noctuæ in lucem omnem audacissimè jactât! Principes gloriæ, solo adsternuntur: mancipia vilissima, in altum surgere nituntur! discite mortales à cælo, quid agere debeatis in terris, ne si male tanta exempla temnatis; pessimè ab optimorum consortio excidamini: *Dominus in cælo &c.*

2. Ratio

2. Ratio Principalis, aditus templi, ut daretur exemplum Parentibus, quæ primùm via filiis monstranda.

Adiit Puer Iesus templum, tanquam Paterfamilias occupaturus locum suum, sed & voluit in eo videri hospes, in prima pueritia sua. Visitaverat quidem jam Elisabeth, & Ioannem sanctificaverat: sed id factum, in utero Matris. Nunc autem primùm, visibili specie, puer tenellus, adit templum cum Parentibus suis, ut det exēplum cæteris parentibus quæ primùm via monstranda sit filiis, in ætate tenera eorum. Proh! Crimen Christiani sæculi! priùs assuefieri pueros ad ludos, quàm ad preces, priùs deduci ad symphonias, quàm ad aras, nondum scire orare etiam didicisse connondum scientiam profanare. Non sic Christiani, non sic, initium sapientiæ timor Domini, quem docturus Servator exemplo, primam eruditionem & instructionem pueritiæ in eo sitam monstrat, ut manu ducantur ad templum, seu ad pietatis, aliarumq; virtutum exercitia. Eccles. 12. *Deum time, & mandata ejus serva; hoc est enim omnis homo.* Eò omnis industria parentum colli-

met, quatenus apud prolem suam, eam mereantur felicitatem, de qua tota eorum & sua ætate gaudere possent. Bonum volunt, cum sic volunt, sed bonum, malè multi volunt, cum licentiæ & insolentiæ frenis laxatis, pietatis & virtutis obliviscuntur. Quid ita? cum enim hæc sinunt, ea sinunt, quæ non possunt, illos pariter ac suos dilectos omni solari tempore, quod scriptura illis verbis commendat. *Hoc est enim omnis homo*, id est omnis temporis solatiis serviens homo. Amas filii teneritudinem? cito mutabitur; hoc non est omnis homo. Amas amænitatem, & hilaritatem? cum ætate defervescent: hoc non est omnis homo. Amas valetudinem, & incolumitatem? levissima febri deperdi possunt, hoc non est omnis homo. Illud igitur illi inculca. *Deum time & mandata ejus serva: hoc est omnis homo.* Non rejecerim tamen illorum quoque Politicorū, civilem sensum, qui explicaturi, quid sit *omnis homo*, ajunt illum esse, qui sit aptus ut proverbium est, *Et ad chorum, & ad forum*. At quis talis est? iterum ingemino. *Deum time &c. hoc est omnis homo.* Et ad cho-

chorum & ad forum. Vis magnos Sacerdotes, Episcopos, Archiepiscopos, cogita sincerissimos Dei cultores, Aarones, Samueles. Vis magnos Domus Gubernatores? cogita piissimos Tobias. Vis magnos Iudices, Duces, Principes? cogita Deo obsequentissimos, Moysen, Iosue, Samsonem, Gedeonem, Davidem. Ecce quemadmodum pietas ad omnia est utilis, & quomodo timentes Deum, valent, & ad chorum & ad forum, ac quomodo viri pii sunt *omnis homo.* Tales, ut plurimi juvenum evaderent, præivit CHRISTUS exemplo, primumque iter ad templum suscepit, quatenus eo comitatu Servatorem, Parentes, filios suos deducerent. Memento *igitur ô juvenis Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniant dies afflictionis & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent, &c.*

MODUS XLII.

PRopositione ut alias præfixa, unâ tantū, propositionis ratio principalis assumitur: quæ rationibus minus principalibus probata, confirmata, exculta, Orationem constituit.

PRAXIS

In Festo S. Michaëlis Archangeli.

Quis putas major est in regno cœlorum. *Matth.* 18.

ACcessus & *Propositio.* D. Michaelem, Christiani populi Principem, & Angelorum Ducem consentiens veneratur Ecclesia. Superfluum igitur est inquirere, an ad prædictam interrogationem, *Quis putas, major est in regno cælorum?* responderi debeat. Talem esse D. Michaelem Archangelum; quin potius videamus, quemadmodum gloriosissimum hoc insigne, Majoris, seu Ducis, obtinuerit.

Ratio Propositionis principalis, quæ probata confirmationem & orationem totam constituit, quia obtinuit pro eximiis, meritis, hanc dignitatem.

Non una manu honorum titulorumq; insignia porriguntur. Præbet illa interdum favor, donat interdum gratia, mercatur pretium, rapit ambitio. Absalon favore populi regnum occupavit 2. Reg. 15. Iason emit Pontificatum 2. Machab. 4. Baasa 3. Reg. 15. Zambri 3. Regum 16. seditione Principatum invasêre. Absit ut hi, aut similes

similes gloriosè titulos & dignitates suas obtinuisse censeantur. Humiliter atque ingeniosè caput orbis D. Gregor. Epist. ad Imperatricem, de sui in Pontificatum electione. *Ecce serenissimus Imperator, fieri simiam, leonem, jussit: & quidem provisione illius, vocari leo potest, fieri autem leo non potest.* Verè, quicunque alia quàm meritorum via dignitates adipiscuntur: vocari quidem Magni ac Maximi possunt, fieri non possunt. Talium tamen plena sunt Mundi Regna; nemo autem esse potest, apud Iudicem ac arbitrum Deum. Sola ibi merita coronantur, solæ virtutes, præmia, honores & dignitates capessunt. Unde Apocal. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum,* scilicet honorum & dignitatis. Longe ante Psaltes 61. *semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia reddes unicuique secundùm opera sua.* 2. ad Timoth. 3. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Atque hæc via est, via Regia, via gloriosissima, ad titulos atque honores: quod rectè

ſentiens Alphonſus Aragoniæ, cum, non nemine virtutes Nicolai Pecenini laudante, alter reſpondiſſet. Hæc omnia valitura aliquid, niſi Nicolaus, Lamonis eſſet filius, ſubjunxit. At qui ego, mallem eſſe Peceninus, quam nonnullorum Regum filius: notans eos glorioſiſſimè Magiſtratus occupare, qui non genere ſuffragante, aliisve artibus, verùm virtutibus ad eos promoverentur. Sed quid humanis immoramur, cum ad ſublimiſſima D. Michaëlis merita, ſpectanda provocemur Apoc. 12. *Factum eſt prælium magnum in cælo. Michaël & Angeli ejus præliabantur cum Dracone.* En campum, en merita, glorioſiſſimi Archangeli, pro Deo, contra rebelles ſpiritus decertantis. Expende illud *prælium magnum*, ut intelligas res ingentes à Michaële geſtas, & illud, *Michaël & Angeli ejus* ut agnoſcas Michaëlem, fuiſſe aliis Principem, ſubijciendi ſe creatori ſuo. Michaël, interpretatur, *Quis ut DEVS?* Pulcherrimè concordat nomen cum factis, inclamat Rebellis princeps. *Ero ſimilis altiſſimo* Reclamat Michael. *Quis ut Deus?* Attollit ille ſolium, ſuper nubes,
Demit-

demittit ſe Michaël, infra Dei pedes. *Quis ut Deus?* Occupare ille ſatagit ſedem ſummam, & ponere ſuper Aquilonem. Avocat Michaël animum ſuum & ſociorũ ab impia ambitione. *Quis ut Deus?* Robur ille ſuum æſtimat; Michaël potentiam Dei veneratur. *Quis ut Deus?* dignitatem ille ſuam metitur. Michaël Dei Majeſtatem. *Quis ut Deus?* Deum ille hominem adorare repugnat. Michael, in infirmitate carnis, Divinitatem latentem adorat. *Quis ut Deus?* Grande bellum non armorum, ſed animorum? in quo merito illud quoque advertas, quia ſicut dicitur. *Factum eſt prælium magnum*, ita ut eidem attribuitur, quod, *factum eſt ſilentium magnum*, cum Michael præliaretur &c. At quomodo conveniunt prælium, & ſilentium? ſilentiũ eſt indicium attentionis, reverentiæ, timoris, admirationis. Regnabant ergo & ſilebant, in furiis veſani, in ſilentio ad robur Michaelis, attoniti. *Quis ut Deus.* Pugnabant & ſilebant in bello effrenes, in ſilentio, magnitudinis Divinæ, in Michaële ſeſe oſtentantis, reverentes. *Quis ut Deus?* Pugnabant & ſilebant in aëre tumentes, in

silentio humiliationis per Michaëlem superventuræ, conscii: *Quis ut Deus?* Pugnabant & silebant in sui dejectione irati & frendentes, in silentio, munera, & honores amplissimos divo duci, à Deo collatos, admirantes: *Quis ut Deus?* cum scilicet Michaël, Dux magnus, Archangelus, Princeps, Præfectus Hierarchiarum cœlestium. Præpositus animarum, Defensor universalis Ecclesiæ pronunciatus, adeoque dignus habitus, qui Dei personam, & nomen, vicariè gereret, ut deinceps parum; cum tradens tabulas Moysi dixit. *Ego sum Dominus Deus tuus.* quæ verba attribuit Angelis D. Paulus ad Galat. 3. 19. & interpretes de Divo Michaële intelligunt, apud Corn. Est igitur, cur illi tantam dignitatē ex merito acquisitam, gratulemur, & nos ejus patrocinio commendemus, atq; virtutes imitando, magis quàm quæstionibus urgendo, quis porrò sit Major in Regno cælorum, intelligamus.

MODUS XLIII.

Per revictionem & assertionem causarum.

Primùm

PRimùm propositionis præfixæ illæ causæ redduntur, quæ ut non sunt ejus causæ, aut tantùm putatæ causæ, aut insufficientes: atque adeò rursus, aut simpliciter reprobantur, aut explicantur, aut distinguuntur. Tum vero, ad veras solidasque causas, aut causam descenditur, & pro rei exigentia, una ex illis, pluresve afferuntur. Hac ratione dicturus aliquis Dominica IX. à Pentecost. inquiret, causas, unde profectæ censeri deberent Christi lacrymæ, rejectisque illis quæ ex conturbatione imaginationis ac passionum: item ex apprehensione damnorum temporaliũ, in hominibus evenire solent; in solàm Christi, referret factum misericordiam: quæ tot populis æternum interituris, cõpateretur. Similiter Dominica V. Epiph. posset super illa verba *sinite* &c. inquiri, Cur Deus peccatores tolleret? hic fit.

PRAXIS

Dominica XV. à Pentecost.

Ecce defunctus efferebatur Filius unicus Matris suæ. Luc. 7.

A*Ccessus & propositio.* Defunctum hunc quem hæc verba unicũ Matris appel-

appellant, verba Servatoris eundem à mor-te excitantis adolescentem, declarant, *Ait enim Adolescens tibi dico surge*. Hem mors quàm immitis es, quæ nulli sexui, nulli ætati parcis, tenerosque flores, cum maturo gramine metis. Hoc enimvero fortassis Tiberius aliquis, queri meritò possit apud Sueton. *Sibi immeritò, tam immaturè vitam eripi*, sed absit id, à Christianis ani-mis, quibus idem cum Deo velle, ac nolle sit necesse. Nam *sicut corona soli Princi-pi competit, sic propria voluntas, soli Deo*. Unde, *cùm homo vult aliquid per propriam voluntatem; Deo aufert, quasi suam Co-ronam*. D. Anselm. cap. 8. Similit. Illud tamen humiliter hodie inquirere licuerit: Cur Deus sæpè immaturas in multis mor-tes permittat.

Confirmationis prima pars, per rejectionem aliquarum causarum.

Fato id inprimis quodam agi nonnulli credunt, quod nascentes premere cum cæperit, non prius desinat, quàm opprimat. Scribunt scilicet illi, qui apud Franc. Patrit. lib. 3. de siderum natura, ratiocinantur, animos nostros, Divino nutu, in signiferum

latum

latumque orbem delapsos: ex cœlestibus sphæris, suos motus accipere: adeoque vitam, ejusque durationem, ab astris & fatis pendere, insolenter affirmant: tantoque insolentiùs, quia iidem & Deum & fatum colunt. Verissimè de ejusmodi Aug. *Dum fata sequuntur, fatuos se ostendunt.* *Posuerunt signa sua, signa* ait Psaltes 73. *& non cognoverunt sicut in exitu super summum.* Fallax invenitur Mercurius, mendax Saturnus, insanus Iupiter, stultus Mars, quia qui eos in signa sua (neque enim, ad id à Deo sunt creata) eligunt; quamvis eam scientiam credantur petere à summo; non cognoscunt sicut in exitu latere illos debet egressus è vita, sicut latuit ingressus: & quemadmodum incertissimi sunt, quæ illos mors, aut ubi expectet: ita id aliis nuntiare, nequaquam possunt: sed nec possunt invenire causas, quæ eam aliunde inferunt, quàm à nutu Dei. *Domini* enim Psal. 67. *Domini exitus mortis*, & Psal. 64. *Quia neque ab oriente neque ab occidente, neque à desertis montibus*, scilicet mors venit, *quia Deus judex est*: sed à solius Dei decreto. Certius igitur, affirmaverit aliquis,

imma-

immaturas mortes, peccatorum, maturata esse supplicia. Edictum scilicet Psalm. 54. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Quare cum eam pœnam conscius culpæ deprecaretur David Psal. 101. dicebat. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum. & Ezechias*, conscius innocentis vitæ, accepto nuntio ingruentis mortis, flevit valde Is. 38. causamque lacrymarum, his, enuntiavit. *In dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi;* quod erat, subvereri ne innocens morte peccatorum decederet. Et hoc quidem in multis verissimum est, vitam eorum in pœnam vitiorum præcidi: unde, & in exemplis sacris legitur; juveni ad furcam ituro, canitiem subitam erupisse, significatum que cælitùs, ad eam ætatem, ac canitiem perventurum fuisse: nisi sceleribus, vitam demeruisset. Accedit scelestos ac insolentes homines, dum sibi omnia concedunt, ebrietatib⁹, gulæ, luxuriæ aliisque peccatis immergi: quæ vitam gravissime minuunt. Absit tamen, universum istud concludamus dicente Scriptura Ses. 4. *Iustus si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.* Et,

consum-

consummatus in brevi, complevit tempora multa. Quæri potest, cur pœnam peccati, quæ est mors, priùs luerit Abel just⁹, quàm impius Cain, ad quod respondens Divus Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain cap. 10. *Nonne in his, aperte vox Dei clamat. Errant qui putant, hic esse omnem vivendi gratiam. Ecce enim justus, innocens, pius propter gratiam devotionis, odia Tui incurrens, immaturus adhuc ævi, sublatus est parricidio; at iniquus, sceleratus, impius etiam cæde fraternâ pollutus, longævam duxit ætatem, duxit uxorem, posteritatem reliquit, urbes condidit, & hoc meruit permissione Divinâ*, quo etiam congruenter revoces, ipsam significationem Abel. Nam Abel interpretatur dupliciter 1. Quid hoc? 2. Vanitas, luctus. Non immeritò itaque ac sæpè, lugentibus de immatura morte dixeris, quid hoc? quo hæ lacrymæ, quo fletus. Vani sunt luctus & vanitas.

Confirmationis secunda pars per assertionem causarum.

Non alio igitur mortes præmaturæ referendæ, quam quo vita refertur. Quis dicit, cur alii hoc, illo alii sæculo nascantur?

tur? cur sub his primipilus, nonnulli sub aliis? illud indubitatum est, omnes hos vitæ & mortis eventus, à beneficentissima Dei providentia, & nostræ salutis desiderio provenire: quod quidem in præmatura morte, respectu illorum inprimis, certum est de quorum similibus Sap. 4. *Placens Deo, factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est. Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Solabatur timores suos olim Seneca de remed: fortunæ: Iuvenis inquit moriar? fortasse alicui malo subducar, quod si nulli alii, certè vel servituti. Iuvenis moriar? non refert quot annos habeam, sed quod acceperim. Si plus vivere non possum, hæc est senectus mea. Non iniqua multis solatia, sed longe his meliora. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus &c*, Hæc servus Dei fidelis, sæpe cogitet, & mortem immaturam non timebit, misericordiasque Dei cantabit, quas liberalissimus Dominus largiùs effusurus, ita in Evangelio mortem incertam, ideoque sui varios etiam status vagam omnibus denuntiat, ut continuò

præ-

præmoneat. *Vigilate vigilate*. Certissima est mors & post hoc judicium. Nolo illam vobis esse noxiam, ideo, *Vigilate*. Hinc Augustin. de 10. chordis. *Ante ultimum judicium Dei tui, compone causam tuam. Tunc erit ipse judex causæ tuæ, qui modo testis vitæ tuæ. Possibilitate mortis initium vitæ facit. Incertus ergo dies, tanquam quotidianus sperandus est.* Et idem alibi. *Latet ultimus dies ut observentur omnes dies.* At inquies: si saluti nostræ hac mortis vicissitudine, consuli debuit? multo melius consultum fuisset, ejus certitudine. Nemo se ad illam non securissime præpararet, si injussuram certò cognosceret. Quid verbis promittis, quod rebus negas? Quid spondes facturum, quod facere cum possis, non vis? Pœnitentiam te gesturum, si deinceps mors immineat, promittis? Gere modo, & mortem non timebis. Anne tunc verè pœniteres, cum jam peccare non posses, qui nunc pœnitere non vis, ut peccare pergas! Sera nimis pœnitentia, & raro sincera, quando tunc de peccatis dolemus, cum nos peccata, velimus nolimus deserunt: & dolere de iis noluimus, cum peccata dese-

rere potuimus. *Tali* inquit D. Ambrosius *pœnitentiam promittere ut possim, veniam promittere non possum.* Et D. Aug. Serm. 71. ad *fratres* in erem: *Satis alienus est à fide, qui ad agendam pœnitentiam, tempus senectutis expectat.* Subijciamus igitur nos sub potenti manu Dei, amplectamur benignissimum mortis variæ adeòq; immaturæ decretum; etsi sapimus, quotidiè mortem expectemus, ut quotidie parati, salutem faciliùs consequi possimus.

MODUS XLIV.

NArratorius sive Historicus, cum nimirum res gestæ alicujus, continua narratione explicantur: singulis aut pluribus punctis & circumstantijs rerum insistẽdo, eas explicando, exaggerando, & congruis doctrinis ac affectibus amplificando, uti eo possumus potissimum in narratione Passionis Servatoris nostri, in Historia Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis: itemq; e festis aliorum Sanctorum, in quibus res piè ab illis gestæ, memoria Ecclesiæ celebrantur. In iis etiam solennitatibus, quæ, piæ meditationi, ex conformitate rationabili

facto.

factorum plura suggerunt, quam de iis, in scriptura habeatur. Hac ratione in assumptione B. Virginis MARIÆ posses prosequi genus mortis illius, quod Angelis circumstantibus, quod filio præsente, quod toto cælo effuso Spiritum tradiderit: tum prosequi, quomodo anima ejus beatissima corpori restituta, quomodo cum eodem è tumulo educta, quomodo Virgo elevata in aëra, cincta Sanctorum millibus, à vita ad DEI thronum, ibidem coronata. Exemplum dare hujusmodi perfectum, nimis longum est. Suggeratur igitur quàm brevissimè ad impetum Tyronum.

PRAXIS

In Ascensione Domini N. IESU CHRISTI.

Et quidem D. Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum. Marc. 16.

A*Ccessus & propositio.* Abiit à nobis Magister noster, abiit Dux, abiit Parens noster, sequamur ergo abeuntem, mentis passibus: quem corporis pedibus, sequi non possumus.

Confirmatio.

Ex narrata historia Ascensionis, insistendo ejus punctis.

Quò ergo primùm passum movebim⁹? Extra civitatem progredi necesse est. Extra illam enim, discipuli à Domino ascensuro avocati. Eheu infelix civitas, quam jam Christus linquit? Fuit tempus cum veluti gallina congregans pullos suos obiret te, & congregaret filios tuos, jam nunc vale, & quem projecisti extra portam cum cruce, eodem careas glorioso. Adjudicando innocentem cruci, abjudicâsti te ejus Regno, cujus quemadmodum æternum inops eris, itaque neque nunc, gloriam prægustabis. Extra civitatem, Iesus ascensum abiit, & in montem Oliveti abiit? Montem utique vicinum horto Gethsemani, & oppositum durissimæ Calvariæ. Scilicet, cõtraria contrariis opposita, magis elucescunt, hinc signa victoriæ, monumentis opponuntur passionis. Discite mortales ubi vestra gaudia vestros agere debeatis triumphos. Nondum gaudia vestra spectantur, non posśũt ostendi labores: si dum gloria monstratur, non possunt numerari merita, vanis gaudiis diffluitis, decipimini lætitiâ. Per angusta ad augusta itur, & nunquam lætior triumphat virtus, quàm in memoria, adeoque

aspecta

aſpectu exantlatorum laborum. Sed quid, quod poſt 40. dies, diem triumphi ſui deſtinavit? ſalutaris hic eſt hominibus numerus. Quadraginta annis Iſraeli proxim⁹ fuit. Poſt quadraginta dies, Moyſi tabulæ legis datæ: pro quadraginta dierum itinere; Elias cibo roboratus. Majora etiam his D. Auguſt. 17. in Ioannem ſuggerit cum ſic ait. *In hoc ergo ſæculo quaſi quadrageſimã abſtinentiæ celebramus: cum beatè vivim⁹, cum ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus abſtinemus; ſed quia hæc abſtinentia, ſine mercede non erit, expectamus beatam illam ſpem, & revelationem gloriæ Magni Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Quid metuis Chriſtiane athleta? quid labores fugis? aude & poſt brevem quadrageſimam mercedem copioſiſſimam & nunquam defecturam ſpera. Hoc & mons olivarum, & veſtigia lapidi impreſſa ſignificant. Auſpice virtute Chriſteque Duce, nihil non ſuperabis. Molleſcent etiam ſaxa, ab ejus imitatione, dura cadent, petroſa ſſdentur. Audis Chriſtum invitantem. Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde,* & dicis durum eſt, petra eſt. Audis dicentem.

Matth. 16. *Qui vult venire post me, tollat crucem suam & sequatur me*, & iterum dicis: durum est, petra est. Ah! sit sane petra! sed petra, à Christi exemplo emollita est. Vide pedum sacro sancta signa, passuum vestigia, exemplorum documẽta, & saltem amodò, dic, quod optimè dixit, si pariter effecit, Seneca in Epist. lib. 4. ep. 21. *subsilire in cælum, ex angulo licet. Exurge modo: & te quoque dignum, finge Deo.* Licet equidem licet, ac nimium quoque par est, suspirare ad illum meridiem, quem meridiano ascensus tempore, designavit, & per D. Bernardi suspiria nobis judicavit. Sic enim sanctus ille Abbas orbi auditori, Serm. 33. in cant. inclamat. *O verè meridies? plenitudo lucis & fervoris, solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludũ: fætorum depulsio; O perenne solatium! quando jam non inclinabitur dies, & lumen meridianum? O vernalis temperies! O æstiva venustas! O autumnalis ubertas? & ne quid videas præteriisse, quies & feriatio hyemalis.* O quot, in hac diei luce, cælestia simul effulsêre lumina! quot de sidereis palatiis obviam processêre agmina, quis

undi-

undique cinxit comitatus! *Viderunt ingressus tuos Deus* Psalm. 67. *ingressus Dei mei, Regis mei qui est in sancto. Prævenerūt Principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum sympanistriarum. Ibi Beniamin adolescentulus, in mentis excessu. Principes Iuda, Duces eorum, Principes Zabulon, Principes Nephtali.* Eja fratres, jungamur gaudiis! sed ut his jungi dignè possimus, primùm jungamur meritis. Ad gaudia tamen certè invitat, qui ascendens super omnes cælos, edicit: *vado parare vobis locum.* Ioan. 14. unde Paulus ad Hebr. cap. 6. *Præcursor introivit Iesus,* Tertull. de fuga in persecu: *Apud inferos emancipatio nostra est, & stipulatio nostra in cælis. Sublatæ sunt portæ sempiternæ ut introiret Rex gloriæ. Dominus virtutum hominem de terris, imo ab inferis, mercatus in cælos.* Et contra Gnost. *Scito, & ascensum illum exinde complanatum vestigiis Domini; & introitum, exinde reseratum, viribus Christi; nec ullam moram aut quæstionem in lumine occursuram Christianis, qui non dignosci habent illic, sed agnosci: nec interrogari, sed admitti. Nam etsi adhuc putas*

clausum cælum, memento claves ejus, hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse. Est cur gaudeamus, est cur cum D. Leon. serm. 1. de assumptio: lætantes proclamemus. *Quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis*; aut cum August. Serm. 176. *Nos Christi mors vivificavit, nos resurrectio erexit, nos ascensio consecravit. In illo nostræ originis corpore, cælestibus Regnis, arrham nostræ conditionis imposuit.*

MODUS XLV.

A Definitione simplici rei, quæ pro propositione præfixa & in progressu sermonis, rationibus probata. Orationem conficit. Copiosissimi sunt in his, S.S. Patres, præsertim in definiendis vitiis ac virtutib⁹, item in laudibus Divorum, ac B. Virginis MARIÆ, ex cujus titulis, è Divis Patribus collectis, justus libellus, Nomenclator Marianus dictus, in manibus plurimorum teritur. Hoc modo formari posset concio. E. grat. Dominica Sanctissimæ Trinitatis, definiendo & probando Festum Sanct. Trinitatis, esse Festum beatæ æternitatis

Primi

Primò quia quidquid ſub eo recolimus, ſupra homines eſt, *Secundò* quia nulla ſanctorum, per totam æternitatem futura occupatio, niſi Deum trinum & unum, videre, amare, laudare. O quæ hæc cognitio incognitorum? quis amor? quæ laus? ſimiliter definit, feſtum Aſcenſionis Domini noſtri D. Epipha. Epiſc. Cypr. in Bibliothe. P. P. eſſe *colophonem œconomiæ Domini,* quia ſcilicet hic dies, Oeconomiam Domini inſtauravit in cælo; Chriſto ibi Principatum occupante, & Sanctis in cælum inductis, locum ſuum inter Angelos præhendentibus. Inſtauravit in terra, Apoſtolis ad prædicandum miſſis, fidelibus baptiſmo præſcripto, omnibus creaturis, ut ſervis ſuis obediant, imperio dato. Inſtauravit denique in inferno Patribus è limbo liberatis, Principe inferni alligato, poteſtate, nocendi hominibus multum imminutâ. Verum ſuccedat.

PRAXIS.

Dominica III poſt Paſcha.

Mundus autem gaudebit, Ioan. 26.

A*Cceſſus & Propoſitio.* Democritum Philoſophum, quicquid agi videret

in orbe, omne id risisse, narrant veterum annales. Causam risûs sciscitantib⁹, respondit. Quia nihil in mundo, non ridiculum. Alium jam Democritum habemus, quem Christus veritas, mundum esse denuntiat; cujus una constansq; sit occupatio, gaudere aut ridere. Quid causæ? flet hic Democritus, sed cogitanti occurrit, mundum id risu suo continuò agere, ut mundanos homines irrideat. Sistamus igitur, & quam verus bellusque, sit hic suorum irrisor, videamus.

Confirmatio per probationem definitionis, quòd mundus sit irrisor suorum.

Duo genera irrisiorum omnibus noscuntur. Aliud quod palam tale habetur: Aliud, quod cum id minime præferat id tamen maxime agit. Ad primum genus refertur exemplum, quod habetur 1. Paral. 19. ubi Amon male persuasus de legatis Davidis, tanquam de exploratoribus, ad eorum contemptum & irrisionem, eos *decalvavit, rasit, & præcidit tunicas eorum*. Item exẽplum de Samsone, quando Iud. 6. post erutos Samsoni oculos, *præceperunt Principes* (scilicet) *ut vocaretur Samson, &*

ante

ante eos luderet. Tandem exemplum ipsius Servatoris nostri, irrisoriè in ædibus Pilati, in Regem coronati & illusi. Alterum gen⁹ irrisionis ut occultius est, & varium: ita difficile circumscribi potest, de tali Div⁹ Hier. Epist. ad Rusti. *Ne credas adulatoribus tuis, imo irrisoribus, aurem ne libenter accommodes; qui cum te adulatoribus foverint, & quodammodo impotem mentis effecerint; si subitò respexeris, aut Ciconiarum deprehendas colla post te curvari, aut manu, auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam &c.* Utroque hoc modo, Irrisor Mundus, ridet suos. O quot hic Amnon, venerandos ætate senes, in leves scurras, inter sua tripudia, decalvat & radit! O quot majestuosas & ad omnem gravitatem formatas togas, in suam levitatem decurtat? Pudeat longæ vestis, cui brevis virtus est, nullaque verecundia. Neque segnius, Samsonis ludus luditur, ut Mundus irrisor, risu suo pascatur. Gaudent vocari fortes, invicti, potentes, magni Principes, Duces: & dum viribus nimium fidunt, ab hostibus infensissimis excæcati, pericula imminentia non vident. Ducunt in bonis

dies

dies suos & in puncto ad inferna descendunt. Vultis & pompam spectare ludicrè à mundo coronatam? O quam innumeri, sub illa vivunt? quot frontes spinis onerantur, & gloriantur de auro? Honor indignis collatus, spinæ sunt. Quot manus arundine fatigantur, & sceptrum præferūt? Imperia leviter administrata, levis arundo sunt. Quot rudia vellera, corpus affligunt, & pro purpuris jactantur. Rudes animi sub serico, pecus mentitum est. Quot genæ colaphis cædūtur & mulceri existimantur? vultus hominis, status est hominis, cui duplices genæ, virtutis & famæ. Est igitur qui nobili sanguine editus, ignobilib⁹ vitiis serviat. En alapam famæ & virtutis. Est qui militiam professus, spoliis pauperū gaudet, & iis ditari cupit. En item alapam, famæ & virtutis. Est qui sacratiorem vitam novit, & profanos mores gerit. En tertio alapam famæ & virtutis. Amant tamen sic ornari, sic suspici, sic haberi, sic cædi, & præbere risum mundo fallaci, de quo verissimè. August. tom. 10. Serm. de Iejun. *Iste Mund⁹ aut ridet nos, aut irridetur à nobis, aut contemnimus aut despicimur.* Utinam auscul-

auscultent Psalmistam inclamantem. Psal. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*, utinam tot decepti, aliquando sapiant, sed ne id fiat mille rursus modos, hic irrisor adhibet, quibus suos infascinet, quorum non postremus est adulatorem præceptis decerpt⁹, quem memorat D. Hiero. Epist. 14. ad Oelant. *Est sane grande & subtile artificiû, laudare alterum in commendationem sui, & decipiendo animum sibi illigare decepti.* En mundi imaginem, laudatur voluptas ut stabilis; opes ut constanter servituræ; lætitia ut animum satiatura; & heu? omnia contra veniunt. Scilicet, *prosperitas hujus mundi teste* Aug. in Psalm. *habet asperitatem veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.* Caligula Imperator ex fide Dion. lib. 59. Iovis apparatu tumens solio insidebat, divinitatem omnibus Diis, & lapidibus reclamantib⁹, invasur⁹. Interrogavit igitur à Gallo milite, quid sibi esse sub ea pompa videretur? cui Gallus. *Magnum omnino deliramentum.* Tale revera est quicquid

mundus

mundus mundanis commendat, & quicquid stultis fraudulentissimis irrisor persuadet. Quid enim obsecro, brevis voluptas, quâ æternus dolor emitur? magnum omnino deliramentum. Quid paucæ divitiæ, quib⁹ æterna egestas comparatur? magnum deliramentum. Quid laus populi, quid favor amicorum, quid cultus clientum, quid reverentia minorum, quibus æterna perditio, contemptus, infelicitas emitur? magnum deliramentum: & tamen sic delirare placet, sic gaudere, & ridere, dum & ipsi irrideantur. Felix qui cum Salomone concludit: *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* Eccl. 2. Complutenses legunt. *Risum dixi derisionem.* Verè Mundi risus, mundanorum irrisio. Nam ridet & irridet, & quemadmodum continuò irridet, ut monitum D. Anselm. lib. 1. cap. 8. alta mente figamus. *Si Mundus, vel aliquid eorum quæ sunt mundi, ridet tibi, noli arridere illi. Certè frater non ridet sibi ut in fine risus tu rideas, sed simul: risum, ut & invideat. Esto igitur cautus, & cum ille tibi fallaciter ridet, tu veraciter irride eum.*

MO-

MODUS XLVI.

PLures definitiones, propositionem conflant: aut etiam plura membra definitionis descriptivæ: singulæ autem partes aut membra, seorsim probantur: aut ad unum finem omnes probationes referendo, aut doctrinas varias singulis annectendo, quemadmodum dictum habetur de causis, modo XL. & XLI. vide etiam exemplum definitionis descriptivæ, artificio revocandi totum Evangelium ad unam propositionem conjunctam, modo 22. Sit nihilominus.

PRAXIS

Dominica II. Quadragesimæ.

Assumpsit Iesus Petrum, & Ioannem, & Iacobum fratres ejus. Matth. 17.

A*Ccessus & propositio.* Habet Christus quos familiarius assumat in suos, habet & Dæmon, habent & homines. Nam, *si quis cælum ascendisset, naturamq; mundi & pulchritudinem respexisset, in suavem illam admirationem ei futuram, nisi aliquem haberet, cui communicaret;* dicebat ex sensu communi, & vero, Architas. Sed hem nos! quam

quam sæpe fallimur, & per familiares, quos vitæ solatio assumimus, gravissimè affligimur. Magno delectu opus est, ne in latentissimam scyllam impingas, & tamen minimè id curatur. *Fide, sed cui, vide:* ait vetus verbum, ama bonos, cave malos. Hi enim sunt, qui amicitiæ fructum corrumpunt, qui spes nostras maximè fallunt, qui totius vitæ jura perturbant, vultis brevibus quid sint socii mali nosse? dicam sane esse diaboli præcipuos cooperatores, animorum sævissimos homicidas, Christi gravissimos inimicos: atque utinam, quam ego id indubitanter asseveravero, vos credatis.

Confirmatio, ex singulis definitionibus sensim probatis.

Sunt igitur mali socii, Diaboli præcipui cooperatores. Quidni? idem opus utrinq; agitur, eadem pernicies struitur. Trahimur in vitia à Dæmone suggestionibus, à sociis suggestionibus & exemplis. Heu quàm multi dicere possunt, quod humiliter de se Aug. lib. Confess. 3. *Præceps ibam tanta cæcitate, & inter coëtaneos meos puderet me minoris dedecoris, cum audiebam eos,*

jactan-

jactantes flagitia sua, & tantò gloriantes magis, quantò magis turpes essent; & libebat malum facere, non tantùm libidine facti, sed etiam laudis. O nimis inimica amicitia! & seductio mentis investigabilis, cum dicitur. Eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem. Inventor scilicet ille, auctorque peccati ait Leo Sermone 4. de collec. *primùm superbus ut caderet, deinde invidus ut noceret: quia in veritate non stetit, totam vitam suam in mendacio collocavit; omniaque deceptionum genera, de hoc venenatissimo fonte produxit: ut ab illo bono, quod ille propria elatione perdiderat, spem humanæ devotionis excluderet.* Vide Dæmonis & malorum sociorum lusus. Lapsus ille primum, alios in ruinam trahit: isti quoque cum à virtute defecêre, alios ad vitia pertrahere nituntur. In mendaciis, Dæmon totam suam vitam collocavit: isti etiam, mentiuntur affectus, mentiuntur desideria, mentiuntur vota, mentiuntur successus, *& quia sciunt*, pergit eo sensu D. Pontifex de dæmone, *non solùm verbis sed etiam factis Deum negari, multi quibus auferre non possunt fidem, auferunt chari-*

tatem. Res est omnibus lacrymis ploranda. A multis id ipsum concessum esse amicis, & sociis; quod negârant diu suggestori. Scilicet à Dæmone animus; ab amicis vultus, oculi, aures, & animus feriuntur; quæ prælia non numero tantùm; sed & robore sunt valentiora. Recogita exempla, in quibus Dæmon forma hominum, ad effingendam virtutem multorum, non sine effectu est usus; ego illud revocaverim, quod multis palam est; cum, diu discordias inter Maritum & uxorem concitare non valentem, fæminæ deinde illis familiaris opera, ad id consequendum usum. Hæc dum pro recepta amicitia, huic, atque alteri varia eaque contraria narrat, intra triduum gravissimorum tumultuum infelix extitit causa. Tulit illa quidem sceleris præmium, cum à Dæmone audivit, se tot annis laborantem præstare non potuisse, quod illa triduo præstiterit, ideoque inferno se digniorem, ad quem mox rapta fuit: sed & vitandorũ malorum sociorum, grande reliquit exemplum, cum probavit. Sæpe crimina facilius ab amicis putatis; quàm ab ipso Dæmone persuaderi. O germana diaboli instrumenta malos

malos socios! O primarios ejus suggestionum cooperatores! felix qui omni arte fugit, vitandos plusquam Dæmones: nam qui non vitavit, & vitia illorum non est secutus, Martyr erit mihi invictus, cui illud Christus adscribet. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, Matth.* 10. Non est dictum, coram tortoribus, carnificibus, Tyrannis, sed coram hominibus, ut notaretur confiteri Christum inter homines, inter socios, familiares, præsertim malos, martyrio par factum esse. At nostra damna propinquius inspiciamus, quod scilicet, socii mali; fiat *sævissimi animorum homicidæ.* Hanc nobilissimam portionem hominis illi petunt, non latus, non caput, non denique aliquam partem pretiosissimam corporis. Quid ita? cum peccatum suadent ac persuadent, mortem animæ inferunt; *Quod est enim anima corpori, hoc est Deus animæ, ait* Aug. Quemadmodum igitur separatâ animâ à corpore, sequitur mors corporis; ita separato Deo ab anima sequitur mors animæ: atque ideo quemadmodum si corpus mortui, moveri incipiat,

si manum surrigere, si surgere, si proloqui prodigium supra naturam est: ita si peccator adhuc spirare, respirare, suspirare, & actionibus animi pii fungi possit, ingens beneficentiæ Divinæ miraculum est; quo non intercedente, quodvis letale peccatũ eam infert mortem, à qua amplius homini, Deo vivere non liceat, æternumq; sepeliri debet in inferno: *Ego sum*, Ioan. 11. inquit Salvator *resurrectio & vita.* Id, ne ad corporum solùm suscitationem referas, sed animorum mortem cogites, audi Origen. Tit. 28. in Ioan. peccatores ad Lazarum mortuum referentem. *Necesse est aliquos, etiam num Lazaros esse, qui post contractã cum DEo amicitiam infirmati sunt, & periêre.* Orat Psaltes enixe Psalm. 26. v. 9. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me* Euseb, & Theod. legunt. *Ne me ad corvos projicias.* Qui sunt qui projiciuntur ad corvos? corvorum pastus cadavera sunt. Quæ verò obsecro cadavera? quibus ne immisceatur rogat vates. En ipsum interpretem sui. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Idem ergo est à Deo dividi, & mori, peccare & fieri cadaver, ac tradi corvis, sed

qu,ibus

quibus corvis? mali corvi, mali socii, mali amici, sævissimi homicidæ, qui nostris mortibus, nostris cadaveribus gaudent, ac aluntur. De his D. Aug. tom. 9. In Ioan. *Non omnis qui dicit pax vobis, quasi columba, audiendus est, unde ergo discernuntur, oscula corvorum, ab osculis columbarum? osculantur corvi sed laniant, à laniatu innocens est natura columbarum. Vbi ergo laniatus, non est vera in osculis pax*, En oscula falsa, en corvos, en malas mortes, en cadavera, quibus hi homicidæ gaudent: neque Christum, væ sæpius talibus intentantem ac præsertim Luc. 17. obaudiunt. Itaque concludit ibi Salvator. *Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quàm ut scandalizet unum de pusillis istis*, quod si adhuc non fit, fiet certè sed in pejus. Scitum est, quod molæ Deorum, serò molant sed bene comminuant. Hæ molæ conduntur hactenus, dum veniat tempus, quo appensæ collo impiorum, projiciuntur in profundum, quemadmodum projectus est lapis in mare. Apo. 17. v. 21. Sunt denique socii mali, Christi gravissimi inimici. Quia

Christum carissima gratissimaque possessione animarum spoliant: easque seductas Dæmoni vendicant. Prô nefandum scelus, & nullis verbis satis explicandum. Quis non execretur nefas, quo mancipium aliquod vilissimum, improbum, furens, vesanum, excluso proprio Regni hærede in throno collocetur? hoc scelus agunt, imo hoc scelus vincunt, qui per verba aut exempla animis sociorum, Deo excluso eas Dæmoni per peccatum mancipant. Horret animus, referre impietatem compertam hominis, qui cum ad sanctissimæ Eucharistiæ usum accederet, ut nondum consumptis speciebus, Christum corporaliter præsentem, adesse crederet. *Adsis, ajebat, diabole, cedo tibi animam. Abeat Christus, excludatur, exturbetur.* O fulmina ubi tunc delitescebatis? aut ubi delitescitis, cum simili injuria, per malos socios, Regno suo & sedibus suis exturbatur, de quo sic apud D. Brigit lib. 1. Revel. c. 1. Christus, *ex toto oblitus, & ejectus sum, & contemptus, & tanquam Rex à proprio Regno expulsus, in cujus loco, Latro pessimus, electus est & honoratus.* O grandem injuriam!

riam! O audaciam hoſtis Chriſti! Neque hic ſiſtunt illorum inimicitiæ. Grandius eſt quod ſequitur. Quia privant CHRIſtum fructu graviſſimorum laborum, & vitæ ejus; evacuantque ac annihilant paſſionem ejus, dum faciunt ut vita & paſſio Chriſti, nullum effectum ſortiatur in animabus malorum ſociorum conſortio ſeductis. Hoc revera magis cogitari & deplorari, quàm exaggerari poteſt. Cum Quinctilius Varrus, in Germania profligatus fuiſſet: Dio lib. 19. is dolor Imperatorem Auguſtum invaſit, ut ſæpius, id unum inclamaret. *Quincti Varre, redde legiones.* Ah! quod fulmen impios feriet, cum judex ſupremus idemque animarum humanarum, unicus, ut amator, ita Servator; ſuper ſcandala intonuerit. Impuriſſime Mœche, licentioſiſſime juvenis, Audaciſſime familiaris, redde animas utique vita mea, laboribus, ſanguine partas: tuo autem ſcelere, blanditiis, conſiliis, exemplis, ereptas. Sanguis meus ſuper te, hoc mades, hoc cruentaris, hunc in ſalutem eorum effuſum, in te, per injurias meas, & ingentia damna cõvertiſti. *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam?*

Ierem. 2. *ad quærendam dilectionem. In alis tuis inventus est sanguis pauperum, & innocentium: non in fossis inveni eos.* Quærit piissimè D. Hipp. Episc. Confes. 9. c. 13 *Quis refundet ei sanguinem, quis ei restituet pretium, quo nos emit? ut ei nos adferat!* Nemo equidem, nemo talis esse potest: sunt tamen multi, qui id minime cogitent, jura Christi invadant, animas perdant, sanguinisque pretiosissimi pretium auferant. Hos iterum moueo, ut quid responsuri sint Christo judici, seriò cogitent, quemadmodum & nos, ut ab illorum consortio fugiamus remotissime, cogitare semper, par est.

MODUS XLVII.

DUcitur tota oratio ab enumeratione partium. Locus amplissimus est, & extenditur ad divisionem generum in species: specierum in individua; accidentium in subjecta; Actuum in objecta; Actionum in fines; factorum in eventus; Locorum in spatia; personarum in subjecta; statuum in formas; formarum in causas; & his similium; ut ideò quoque excusatum

me

me sperem, quod aliqua quæ huc revocare possem, singulariter in superioribus attigerim, aut infra dicendis perstricturus sim. Ex tam multis enim divisionibus, sunt nonnullæ, quæ & facile concionatori deservire possunt, & in turba aliorum non facile discernentur: proptereaque merito specialem mentionem requirebant.

Ex hoc fonte ducendi orationem sacram, modus inprimis communissimus est, quando orator, rem, seu significatum generale, aut in ipsa propositione, aut in propositionis probatione in suas partes dividit, & de iis tractat: non tam argumentando ac inferendo aliquid, de ipso significato generali (nam de hoc statim) quàm explicando quibus partibus, aut subdivisionibus generis, illud conveniat. Unde magis spectatur, qualis sit res, cui conveniat, ad quid referatur: quàm quid sit. Hac subdivisione usus non raro Servator ac Magister orbis est, ut cum semen subdivisit, in semen cadens in petram, in viam, & in terram bonam, idque de verbo Dei explicuit. Item cum distribuit talenta, in talenta lucrosa, & talentum defossum.

Mes-

Messem pariter, in triticeam, & zizaniorum & plurimis similibus locis. Sit

PRAXIS

In Festo S. Mariæ Magdalenæ.

Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix. Lucæ 7.

A*Ccessus & Propositio.* Spectaculum quod piam D. Magdalenam D. Lucas vult asserere, cum voce demonstrativa, universos alloquens. *Ecce inquit mulier,* quemadmodum spectaculum fieri iniquus judex Christum voluit, cum edixit *Ecce homo* Ioan. 19. Et sanè, facta est hodie Magdalena spectaculum Deo, humilia respicienti; Angelis, de cõversione gaudentibus; hominibus, per fora & convivialia atria, illam pariter admirantibus. Nec satis est; facta est quoque nobis spectaculum, humanæ infirmitatis, Pharisaicæ temeritatis, Christi clementiæ & pietatis. Hæc ut viciniora nobis, expendamus.

Confirmatio, per spectaculi, in propositione distributi probationes.

D. Magdalena *spectaculum humanæ imbecillitatis* talem esse persuadet D. Greg. homil. 33. cum ait, *Necesse est, ut cum peccatores*

catores conspicimus, nosmet ipsos prius ex illorum calamitate defleamus, quia fortassis in similibus lapsi sumus, aut labi possumus. Notum illud ac D. Augustino attributum. *Nihil est quod fecit homo, nisi illum prohiberet Deus, propter hominem, factus homo.* Franciscus Galliarum Rex, apud Carolum Imperatorem captivus, postibus inscribi curaverat. *Hodie mihi, cras tibi.* Rescripsit Carolus. *Homo sum, humanum à me nihil alienum puto.* Verissimè uterque, quanquam alius, pro sorte præsenti audaciùs. Interim quisquis homo est, humanæ fragilitati non fidat, atque ita Magdalenæ casus metuat. *Qui stat, videat ne cadat*, monente D. Paulo, cui adstipulaturus. Præsul Hipp. hom, 27. *Semper stare, ac nunquam cecedisse divinum est, atque mirabile*: quod ipsum adeo hæserat D. Bernard. ut gravissimam legem sibi dixerit. *Firmum est mihi propositum nunquam ridendi, quoad usq; audiam ex ore Dei illa verba: venite Benedicti: neque à fletu desinam, donec liber sim, ab illa sententia maledicti,*

D. Magdalena *spectaculum Pharisaicæ temeritatis.* Talis facta est, cum illam Phari-

Pharisæus ad pedes Domini jacentem cernens, concluderet. *Hic si esset Propheta, sciret utiq;, quæ & qualis esset mulier.* O malum oculum, & cor pessimum? *Temere egit*, inquit Pontifex Romanus *ubi* sup. *Vidit flentem Magdalenam, & tamen peccatricem vocat: scelus quod non videt memorat, virtutes quas intuetur tacet.* Sed & quot hujus Pharisæi imitatores! ad quos D. Chrys. homil. 63. *Quid ita alienis inhias ô homo? Recordare Pharisæi, qui cum ad probos non respexerit, sed peccantis opprobria viderit, labores suos amisit.* Videas oculos aliquorum, tam stupidos ut una sede fixi, vix ad latus gyrari possint. His sunt similes animi, qui cùm vitio alieno adhæserunt, averti ab eo non possunt, quamvis id de iis, jam dici possit, quod de Magdalena prosequens Bernar. Serm. 4. *Quis eam peccatricem dicat, quæ dum peccata deplorat, odit iniquitatem: dum osculatur pedes Domini, diligit justitiã.* Agitur tamen non rarò perperam. Vident religiosum, & ostentant sæcularem, vident pænitentem, & rident insolentem, vident humiliatum, & memorant superbum. Eccl.

34. *Hoc ſecundum hoc, viſio ſomniorum ante faciem hominis, ſimilitudo hominis.* Iuvenis, olim malæ amicæ, male amicus; poſt vitæ melioris electam frugem, in eandem incidit: quam cum generoſo vultu, inſalutatam transiret, venenato mulier ſibillo. *Ego illa ſum*, cui adoleſcens, jam Chriſto devotus. *At ego, non ſum ille.* Noſſe hæc credebat ſe hominem, quem jam non nôrat. Hoc ſecundum hoc, viſio ſomniorum, qua tamen non ſolum inutiliter, ſed impiè aliqui delectantur, ut imitentur Phariſæum, cui Magdalena, facta eſt ſpectaculum temeritatis, reclamante D. Chryſ. homil. 24. *Non pietatis eſt, tam rigida adverſus delicta ſententia, ſed inhumanitatis; & perſonam quidem dilectionis ſibi imponit, quaſi alienorum morum curam gerendo: opus autē malitiæ implet extremæ.*

D. Magdalena ſpectaculum CHRISTI Domini *clementiæ & pietatis* ingens hoc omnino 1. Quia tam facilè admiſit ad ſe, tantam peccatricem. 2. Quia eandem coram Phariſæo dignanter defendit. 3. Quia clementiſſimè omnes culpas ignovit, dicens. *Remittuntur ei peccata multa.* O

viſcera

viſcera Servatoris dulciſſima? O pietatem miſericordiſſimam! Imperatorum non nemo cum excubias inviſeret, rogatus à vigili, ut porrigeret benignè manũ oſculo. *Nondum*, reſpondit, *tecum in gratiam redii*. Et alter idem petenti. *Quid relinquã amicis?* Immortales iras, mortales agimus. Servatori, videre humilem Magdalenam, & miſereri, idem eſt. Nulla mora in acceſſu, nihil durum in accepto, nihil aſperum in verbo. Admittitur, ſuſcipitur, defenditur: ut gloriari poſſet cum ſponſa. Cant. 2. *Læva ejus ſub capite meo. & dextera illius amplexabitur me.* Quid læva, niſi pars ad quam peccatores ſtatuuntur? Quid dextra, niſi pars ad quam beati ſecernentur? ô lævam tremendam, ô deſiderandã dextram! Magdalenæ utraq; favet: Læva ſub capite ponitur, ut ſecura à pænis, tormentis, & damnatione peccatis debita, in CHRISTO quieſcat; dextra autem dat amplexus; ut ſe ad gratiam receptam non ignoret & de dulcedine ejus, inter lacrymas & pia ſuſpiria gaudeat. Eja fratres, qui ſecuti ſumus errantem, ſequamur pænitentem, & quod in Magdalena gratulamur, in nobis impleri

impleri curemus. Omni enim ratione alienum est, id quod rectum judices, recte factum nolle. Contigit aliquando, virum Religiosum, cum desperatissimo peccatore ante Christi crucifixi imaginem argumentari: Nôsti ne hanc imaginem? Respondit reus, *novi*: Cujus putes illa est? Respondit: IESU CHRISTI Filii DEI. Ursit Sacerdos, Pro quo tandem, tam dira tormenta Filium DEI credis passum? Respondit: Pro peccatoribus. Perrexit Sacerdos omnibus ne? Respondit reus, ita est, pro omnibus, subsumpsit sacerdos. Igitur & pro te. Respondit reus, nequaquam. Rursus ergo sacerdos, Nunquid ergo tu non peccator. Imò verò, ait ille, sum, & maximus. Tum sacerdos, ex mysta dialecticus. Christus passus est pro peccatorib⁹ omnibus, *Concessit*. Tu es peccator, atque ut ais maximus. *Concessit*. Ergo & pro te. Hoc verò contumacissima mente pernegavit. Miseram cæcitatem, de qua tamen plurimum participant, qui quam suavis sit Dominus, & ad veniam facilis, in multorũ exemplis, atque Magdalenæ clarè nomine; redire tamen ad illum, quod necessario

sequi

sequi deberet, nolunt. Videant, ne hæc sit participatio desperationis, à bono cognito, voluntatem avertere: imo ne sit communicatio damnationis, sub qua, damnati DEUM optimum & justissimum agnoscunt: voluntatem tamen, ad objecta mali, & pœnarum, mente reflectente: frendent, & tabescunt, ac creatorem suum blasphemant.

MODUS XLVIII.

Ex eodē loco distributionis desumitur: sed argumentatio, non explicatio simplex significati hîc dominatur, quod fit, quando à negatis partibus totius, argumentamur ad negandum totum; aut ab affirmatis partibus totius argumentamur ad affirmandum totum. E. g. à negatione, Dominica 7. à Pentec. super Evangelium. *Attendite à falsis Prophetis qui veniunt in vestimentis ovium &c.* Contra hæreticos inferes sic. Hæretici non habent Pastorem, quem amant veræ oves; non mutuam concordiam, non mansuetudinem, non simplicitatem ovium. Ergo hæretici non sunt oves, sed solùm lupi in vestimentis

ovium,

ovium. Ab affirmatione sic. Hæretici habent signa falsorum Prophetarum, quod veniant non missi, quod veniant ad Christi fideles, & non esse ad convertendos infideles, quod tegant sub sua doctrina, principia dura, Deo & rationi repugnantia. Ergo Hæretici sunt falsi prophetæ.

PRAXIS

In Festo S. Ioannis Baptistæ.

Quis putas puer iste erit? Resp. Erit magnus coram Domino. Luc. 1.

A*Ccessus & Propositio.* Si esse magnum coram hominib⁹ gloriosum habetur, atque laudabile, quanto magis is suspiciendus, qui meruerit, talis esse coram Domino. Hunc verò, debere haberi D. Ioannem Baptistam, prius, data ab Angelo sententia, quam hodierna moveretur quæstio, ostendit. Quæritur hodie. *Quis putas?* dictum autem diu ante. *Magnus coram Domino.* Huic igitur magnitudini contemplandæ insistamus, ut Ioannem magnum coram Domino agnoscamus; agnitumque veneremur.

Confirmatio per distributionem inferendo ex partibus totum. Magn⁹ coram Domino

Ioannes in infantia, pueritia, & reliqua vita. Ergo magnus simpliciter.

D. Ioannes *Magnus* in infantia, scilicet in utero Matris sanctificatus. Et hoc quidem beneficii & excellentiæ, collatum est, Ierem: ut habetur cap. ejus 10. *& factum est, verbum Domini ad me, dicens. Priusquam formarem te in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi & prophetam in gentibus dedi te.* Hoc tamen ipsum beneficium, liberalius est in Divum Ioannem effusum. Ierem, etenim, non nisi diu post, id ipsum revelatum fuit. Ioannes in ipso utero, id beneficii & accepit & agnovit: ac propter illud in utero Matris exultavit. D. Chrys: homil. 5. de præcursore. *Saliebat, simul chorum ducens, & æque ferens, quod teneretur in utero: exclamabat adversum mensium conversionem, tanquam injustam: quatiebat matricem in claustro, naturæ insultabat calcibus, modũ nascendi accusabat, & clausis labris, vociferabatur figuris, tali propemodum, motu* dicens Elisabethæ. Iniquè facis. O Mater quæ tardas. Lux venit. solve matutinum. O miracula! ô magnum ab utero coram Domi-

Domino Joannem! cujus magnitudinem rursum suspiciens. Idem Doctor homil. 2. de nativitate ejus exclamabat. *O res admirabilis, & præter opinionem! quam in cælo ignoraverunt Angeli, cognovit Joannes, qui gestabatur in utero. Thronos latuit, & eum qui erat in matrice, minime præterlit.* Quare & Antopater Episcopus Bestrorum apud Metaph. Præfert eum in utero prophetis, inquiens. *Fuisti spiritu afflatus, ut qui donum Prophetæ accepisti in utero: saliens in ventre ea dicebas, quæ Moysi cum consenuisset Deus significavit. Qua de causa te majorem Prophetis vocavit spiritus Ecclesiæ.*

D. Joannes *Magnus in Pueritia.* Quia in triennali ætate, aut, ut aliorum fert opinio, octodecim mensium puer, vitam professus eremiticam. Magni sint & admirandi Antonij, magni Hilariones, magni Alexii; huic exemplo, par nullum, nec æquale adfertur: Heu! care puer quò pergis? quo Duce? quo Magistro? quo Exẽplo? mundum tam maturè fugis? Verissime Chrysol. de nativitate ejus. *Joannem obsecratio genuit, non natura. Imo natura tremula*

 stetit;

stetit; Quid ni, in ejus quoque pueritia expendenda, idem asseramus, tremulam hic stetisse naturam. Primus puer ædes paternas, carissimosque ac optimos parentes reliquit: Tremula natura stetit, solus, nullo duce, nullo comite, mundum fugiens, desertum petiit: Tremula natura stetit. Victu, amictu, sociis destitutus, constantissimè, vitam corpori acerbissimam, sustinuit: Tremula natura stetit. Obsecro te, qui audis, ut mente humili eremum hanc, penitus intres, atque ibi Ioannem tenellum in genua procumbentem, orantem, corpus ciliciis, durisque plagis exercentem, tantisper contempleris, facilè evinces, ut ignaviam tuam detesteris, & de Ioan. cum Gueri Abb. Serm. 1. de Bapt. fatearis, quod is est Ioannes in pueritia, *cujus etiam prima elementa justitiæ, modum supergressa sunt perfectionis humanæ, cujus rudimenta primævæ ætatis, gravitatem sapientiæ vicêre senilis.* Prov. 30. v. 18. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam Aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Iansen per

viam

viam Aquilæ intelligit perspicacitatem Ioannis Evangelistæ, qui Sacramenta divinitatis lucidissimè perspexit, & enarravit: per viam colubri, viam Christi humi serpentis & tandem exaltati & triumphum agentis: per viam navis, viam Ecclesiæ, quæ Petro nauclero per immensos eluctata fluctus, primatum in orbe obtinuit: per viam adolescentis, adolescentiam Divi Ioannis Baptistæ in eremo actam: verè difficilem, verè admirandam, verè eam per quam Ioannes in pueritia fit magnus coram Domino. Tandem Divus Ioannes, *magnus coram Domino in reliqua vita.* 1. Quia ut ait August. homil. 4. de Nativ. Bapt. *Ioannes non invenitur inter discipulos Domini, sed invenitur potius habuisse discipulos cum Domino. Quid est hoc? quid est iste homo? homo? homo tantum? quis homo tantus? Quantus? tantus homo, tamē non sequebatur inter discipulos Dominum, & sequebantur eum discipuli: absit, ut dicam contra Dominum, sed tamen quasi extra Dominum. Discipulos habebat Christus: discipulos habebat Ioannes, docebat Christus, docebat Ioannes.* 2. Qui ut ait Damianus

ſub finem Serm. de prærogativis Baptiſtæ, *Ioannes Patriarcha, imò Patriarcharum finis & caput. Ioannes Propheta, imò plus quàm Propheta: Ioannes Angelus, ſed & inter Angelos electus: Ioannes Apoſtolus, ſed & Apoſtolorum primus & Princeps, quia fuit homo miſſus à DEO Ioannes Evangeliſta, ſed & Evangelii primus meſſor, prædicans Evangelium regni. Ioannes Virgo, imo virginitatis inſigne, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum. Ioannes Martyr, ſed & Martyrum lumen:* 5. Quia meruit ipſum Chriſtum ſui laudatorem: & non eſt aggerativum, ſed fide ſumma credendum elogium, Matthæi 11. *Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioannes Baptiſta.* Denique ejus æſtimationis ſanctitas illa fuit, ut etiam poſt mortem reſurrexiſſe, & in Chriſti perſona vivere crederetur. Marc. 6. 14.

Concluſio ab illatione totius, & ſubjuncta doctrina.

Magnus igitur de toto Ioannes, & magnus coram Domino. Nos quales ſimus nosmetipſos conſulamus. Nemo eſt qui magnus haberi nolit, ſed quantumcunque

sit, nisi coram Domino sit magnus, magnus esse non potest. Trunci sunt, qui nos extollunt: dignitas, opes, scientia, qui postquam morte adempti fuerint, parvi & risu digni, nisi coram Domino simus magni, apparebimus. &c. &c.

MODUS XLIX.

AB enumeratione item partiũ ducitur oratio, quando supponitur aliquid certum, & ad illud evincendum descenditur per divisionem singularium. E. g. dicturus Dominica 22. Pentec. super illud, cujus hæc imago? assumeres pro fundamento illud D. Ambros. lib. 1. officiorum cap. 49. *Veniemus ad illam diem, & secundum imaginem æstimabimur:* & inquisiturus, cujus imago, placitura esset in illo die, diceres, nec fore illam quam refert magnũ genus, nec illam quæ commendet magnũ robur, nec ullam aliam, qua homines sua opera formant. Restat ergo, ut sit illa imago, imago Dei, insita animabus nostris. Similiter ad illa verba. *Amice, ad quid venisti?* Dominica 19. Pentec. dicturus de fine hominis: diceres non venisse nos in mun-

in mundum ut vivamus, nec ut viventes bonis hujus vitæ fruamur. Igitur ut vitam æternam, Deo serviendo, promereamur.

PRAXIS.

In Festo S. Matthæi Apostoli.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth 11.

A*Ccessus & Propositio.* Duo sunt præcipua omnium laborum solatia, finis & præmium, Hinc Divus Chrysost. *Quis agonem suscipit, unde palmam non sperat?* Utrumque hodie, laborantibus Christus spondet, quemadmodum utrumque Divus Matthæus adeptus. Felices quotquot laboratis, & onerati estis, si à Christo refici merebimini. Inquiramus itaque, quis ille tandem sit? ne frustra operâ consumptâ, serò ingemiscamus.

Confirmatio, constans tali argumentatione, ex loco distributionis.

Nec labori communi mortalium, nec labori, pro fama, dignitate, memoriâ suscepto, neque multo magis labori, quo id agitur, ut desideriis sæculi indulgeatur, hæc merces convenit. Ergo soli labori pro

pro Deo propriisq́ue & proximorum salute exantlato.

Primus gradus ac veluti status laborum est communis, quo omnes ad vitæ sustentationem adstringimur, & de quo à Iob. 5. dicitur: *Homo nascitur ad laborem:* & quamvis in hoc quoque statu non desint ignavi, rationes tamen, quàm alibi sunt. Quis artificum studia, mercatorum curas, colonorum sudores, literatorum vigilias, curialium insomnia, militum prælia aut ignoret, aut comprehendat? Planè, *anni nostri, sicut aranea meditantur* Psalm. 89. Gyramur, evisceramur, nullisq́; laboribus parcimus. Cum autem quis opus suum maxime perfecerit, cum laborē consummaverit Eccl. 5. *Sicut egressus est nudus, de utero matris suæ, sic revertetur & nihil auferet secum de labore suo.* Nihil, omnino nihil. Ubi labor, ibi merces, terræ laboratum est, cùm terris excesseris, qui debeat non erit: nisi forte apud Christum, ea ratione cælum lucrari te posse putes, quâ, stipendium, à magnate quodam in Polonia, exterorum nonnemo exegit. Hic enim cum videret, annua stipendia, aliis solvi, ut sibi

ut sibi quoque pariter numerarentur petiit: cumque herus interrogâsset, quo merito id exigeret, respondit: Ego hoc anno in aula tua versatus, diligenter observavi, quid in gratiam tuam præstare possem, neque id aliter me consecuturum speravi, atque si ea facerem, quæ tui agerent famuli. Hos ego cùm viderem, toto anno in tui gratiam comedentes & bibentes, meam illis ut operam non segnis junxi, ita eorum mercedem mihi quoque tribuendam non dubius spero. Sed ô boni! regnum cælorũ, non est cibus & esca, de æternitate non luditur: sed neque deberi potest, tantum præmium, vilibus terrenisque laboribus. Alter status laborum est, veluti altior ac sublimior, in quo laboratur, non communibus vitæ præsidiis, sed famæ, honoribus, dignitatibus, meritoriæ posteritatis, quod ipsum tanta contentione agitur, ut suis laboribus, non illibenter homines immoriantur: illudque Senecæ c. 20. de brevit. vitæ ingeminent. *Turpis ille est, qui vivendo lassus, citius quàm laborando, inter ipsa officia collapsus est.* Agendum opus, nunquam cessandum dum vita non cessat.

Tur-

Turrianum hic revocem, de quo idem ibidem? an Augustulum? de quo Baron. De Turriano sic habetur, quod post annum 90 vitæ, vacatione ab officiis accepta, componi se in lecto jusserit: & velut exanimem à circumstante familia plangi. Lugebat domus senecionem, quasi mortuum, nec finivit ante tristitiam, quàm laboribus officii, est restitutus. De Augustulo hæc accepimus, oraculo edictum acceperat, *Augusti veste tegeris*. Purpuram inde Imperatoriam designari ratus: eandē ambire cæpit, pulsus in exilium, spoliatus deinde bonis omnibus, à spe sua, & antequam è templo ad funus raptus, Augusti cujuspiam (famuli gregarii nomen erat) veste obtectus sit. Quis quotidie Turrianos, nisi continua ambitione exerceantur, se deplorantes non videt, quis non novit Augustulos, per suprema vitæ pericula, honores, dignitates prensantes. At durissimos labores, gravissima odia, æternas vigilias parati suscipere, posteaquam somnum mortis dormiunt, nihil de tot tantisque rebus, nihil de laborum præmio inveniunt. Nihil iterum ut primi nihil. *Exibit spiritus*

eorum,

eorum, & revertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum, *Psalm*, 145. Alexander Severus, fumo perimi jussisse, honorum mercatorem traditur *in Polit.* hoc adjecto. *Fumo pereat, qui fumos vendit.* Fumus omnino quidquid honorē, dignitatē, posteritatem vocamus, fumus est, unde & Psaltes in hominum persona. *Defecerunt, sicut fumus dies mei*, Psalm. 101. fumus cum glomeratur in aëre, saxum & petra videtur, sed petra hæc, & hoc saxum nimis fluidum est, cito evanescit: sic honores & dignitates, grande aliquid præferunt, sed levissimè disparent. Fumus, sursum tendit, & cum vix aliquid ignis rapuerit, plurimum crassæ secum defert materiæ: idem in ambitiosis patet, qui sursum conantur exiguaque nimium luce, sibi solis illustres, plurimum secum fumi & fœtoris trahunt. Amatur tamen, tam tenebrosus fumus amatur! & pro eo plurimum laboratur: sed labor totus inanis est: ac si solvitur, illo minuto constat. *Recepisti bona in vita tua.* Luc. 16.

Tertius status laborum est, cum ideo suscipiuntur ne aliquid desit quo sæculi hujus

volu-

voluptatibus indulgeatur, de horum mercede non est quod agamus, cum ab eorum sociis ex inferno nuntiatum sit. Sap. 5. v. 7. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viã autem Domini ignoravimus.* O dies laboris infelicis! ô tempora tanto malo transacta, ad quorum significationem Judithæ 13. *Omnes fatigati erant à vino* inde mors & cædes suprema. Restat igitur. Quartus status laborum, quo detinentur illi qui pro Deo, propria, ac proximorum salute, animosè desudant, & corpore quidem terras incolunt, animo cælos: & quidquid agunt, Christum semper respiciunt, Christo labores suos commendant. Hi sunt, qui in patientia sua, possident animas suas, & qui veniunt ex magna tribulatione, lotis vestimentis suis in sanguine Agni. Iud. 15. cum fessus Samson, profligatis mille hostibus mandibulâ, orta ex labore siti conficeretur? *Aperuit Dominus Molarem dentem, in maxilla Asini, & egressæ sunt ex eo aquæ, quibus haustis, refocillavit spiritum, & vires refecit;* En quibus DEus parat refocillationem post laborem, Samsonibus pro

Deo

DEO pugnantibus & ad se confugientibus sed & aliud exemplum in Tobia habemus, de quo scriptura Tob. 2. *Contigit autem, ut quadam die fatigatus à sepultura, veniẽs in domum suam, jactâsset se juxta parietem.* Quid deinde admirandis solatiis à DEO Domino recreatus, de quibus reliquum historiæ sacræ narrat. Hæc sperare debent qui in proximorum salutis cura, desudant: Deoque se in iis impendunt. Scribit id expertus D. Xaverius in epistolis *Tanta est vis solatiorum cælestium, quæ DEVS impertit his, qui in hac vinea laborant, ut si quod in hac vita est gaudium, hoc mihi unum videatur.* Verùm hæc prælibatio tantum gaudiorum illorum est, quæ permittuntur laborantibus pro Christo his verbis; *& ego reficiam vos.* Hoc enim tunc implebitur, cum laboribus exantlatis servi fideles, intraverint in gaudium Domini sui, & factus fuerit ipse, qui promisit, laborum merces magna nimis, unde & dicit, *ego reficiam*, non per creaturas sed per me. Videre id licet in exemplo S. Evangelistæ Matthæi, ad quod nos etiam, D. Chrysostomus remittit. homil. 75. in Mat-

Matthæum inquiens, *Monstra animam tuam ægrotantē Paulo, accede Matthæum, ab ipsis diligenter audias, quid eum oportet facere, qui laborat propter spem. &c.*

MODUS L.

ID, quod sub similitudine, metaphora, Allegoria Parabola, Evangelium aut scriptura tradit, exponitur sensu claro, atque probatur. Exempla tot esse possunt, quot pené leguntur Evangelia. In libertate autem cujusque erit, unum aut aliquot sensus prosequi.

PRAXIS.

In communi Virginum.

Acceptis lampadibus non tulerunt oleum. Matth. 25.

A*Ccessus & Propositio.* Et factum fatuarum Virginum, & pænam cognoscimus, superest ut alienis periculis cauti reddamur, nec sinamus lampades nostras extingui: quòd ut præstari cōmodè possit, discamus, quid sint lampades, sine oleo.

Confirmatio, per sensum Allegoriæ claré redditum.

B. Nilus antiquissimum & sacratissimum

Ecclesiæ decus lampadem sine oleo; vult haberi, *conscientiam sine cultu:* unde in paræncsi ait; *Pro lucerna, utere in actionibus tuis conscientiâ: ea enim, & quæ in vita bonæ sunt actiones, & quæ malæ, ostendet:* verissimè vir veritate & spiritu plenus. Lucerna conscientia est, neque aliud lumen clarius est, quo homo dirigi sine errore potest, quàm conscientia, *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis inquit.* Psal. 118. si id de verbo DEi, per leges ejus significato intelligas, bene est: intelligi tamen idem, optimè potest, de verbo illo, de quo idem Psalm. *Audiam quid loquatur in me Dominus.* Psalm. 84. nunquam silet, Dei monentis vox, intra nos. Insitam conscientiam habemus, quæ veritatum infallibilis Magistra, Lux, & lumen mentium sit. Hujus interea luminis, dum à quibusdam nulla cura geritur, fit ut extinguatur: eveniatque conscientiæ sine cultu, quod lampadi sine oleo. Venerabilis Beda cap. 45. refert morem cereorum consecrandorum in veteri Ecclesia fuisse: ut sacerdos, cereum porrigens pueris, his verbis uteretur. *Pueri, vestra*

vita cerea est. Adolescentibus *conscientia tua utere pro lucerna. Viris, in hunc modum, inflammatum cor tuum ardeat, ut possis dicere; anima mea in manibus meis semper.* Senibus *videte senes, quanta vobis olei abundantia opus est, ut lucerna vestra in æternum ante divinam Majestatem ardeat.* Notandus verborum ascensus, qui post traditam lampadem, ejus continuam præ oculis gestationem & olei provisionem commendat. Scilicet, ut conscientiæ cultui continuo invigiletur, atque attendatur. O quot sunt! quibus cum illa primum adeo clare præluxisset, ut minimos errores atque nævos ostenderet, tandem sensim sine sensu, voluntario neglectu eo sunt prolapsi, ut per *diem incurrant tenebras,* Iob. 5. *Et quasi in nocte sic palpitent:* imò *ut cum impiis in tenebris conticescant, & in circuitu illo* Psalm. 15. *ambulent,* quem explicans D. Augustinus Confess. 6. his ingemiscit. *Væ væ animæ meæ, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram: versa & reversa, ceu impiorum,* (ceu impiorum circulum) *& in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt*

omnia, justissimo Dei judicio contingit, ut qui bona conscientia & lumine DEI usi, utrumque neglectu cultus & studiorum contempserunt: ferant sententiam, qualem tulit Pontifex ille, apud B. Damian. lib. 1. ep. 20. qui lampadi ante D. Petri sepulchrum appensæ, sumptus subtraxit. Huic enim aliquando oranti, vir ætate gravis apparens, alapam impegit: à cujus ictu obiit, his alapæ adjectis. *Quia extinxisti lucernam meam, extinguam & ego lucernam tuam ante DEVM.*

Sed & aliam lampadem sine oleo, Hugo Caren. in cap. 5. Matth. *assignat, dum ait, lucerna sine oleo, doctrina sine vita.* Doctrinam esse lucernam, totius Ecclesiæ consensus fatetur, cùm indoctorum festis populo prælegit. *Vos estis lux mundi.* Ratio quoque palam evincit, cum sapientiâ & doctrinâ mens dirigatur, quemadmodum luce, oculi, & corpus reguntur. Non semper tranquillo utimur, nec sole semper sereno, & phæbo nubila succedunt, & diebus noctes, Accende lucernam, consule rationem & sapientiam, & utrumque securus vinces. At doctrina, sine vita,

lucernâ sine oleo. Lampadi quispiam deficienti, tu doctrinæ, malis moribus corruptæ, adscripseris, *plus fœtoris quàm luminis*. Quis dicat rectè luxisse, qui finem suum ignorantes aberraverũt à via justitiæ, & queri Isaiæ 59. auditi. *Expectavimus judicium, & non est: salutem, & elongata est à nobis.* An non lampas fatua? Sapientia sine vita, Doctorum Bononiensium, qui grandi numero damnati, in Friderico religioso comparuêre, Spec. Mag. Exem. An non lampas fatua? Hugo Episcopus, scientia miraculosè donatus, & dum infelicem ludum impiæ vitæ diu luderet, ad inferos abreptus, Ibid. An non lampas fatua? Doctor Parisiensis, qui justo Dei judicio se condemnatum palam est professus, in vita S. Brun. An non lampas fatua? Concionator Doctissimus, qui ignea in Averno Cathedra pressus, os omnibus damnatis conculcandum porrigebat. Clausa est his janua nec à Deo cogniti, quia lampades eorum, sine oleo vitæ bonæ, extinctæ. Verissimè P. *Nazian*. Oratione de grandine. *Sapientia prima, est vita laudabilis, Deoq; expiata, seu purgata.* Non is qui in

verbis sapit mihi sapiens est, sed ille, qui pauca de virtute sequitur, multa verò ostendit operibus: fidemque sermonis, per vitæ roborat actionem, longe mihi est præstabilior, formæ pulchritudo, quæ conspici potest, quàm quæ sermonis pingitur industria: nec non divitiæ, quæ manibus continentur, quàm quæ effinguntur somnio, sapiamus, sed vita quoque & exemplo, *Intellectus enim bonus, omnibus facientibus eum* Psalm. 110. Cæterum pergit Augu. in Confes. *Pereant hæc omnia, dimittamus, vana & inania: conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis. Vita hæc misera est, mors incerta, si subito obrepat quomodo exibimus?* Præcesserat, quod his subjungo. *Deputentur tempora, distribuantur horæ pro salute animæ.*

MODUS LI.

REi sub similitudine in Evangelio vel scriptura propositæ, proprietates assumuntur, ac seorsim, significato applicantur. E. gr. Dominica Septuag. sub similitudine operariorũ ad vineam vocatorum, diceres. Fideles ad Ecclesiam vocatos intelligi tum de co-

de eorum officio per expensas laborantiū in vinea proprietates, ageres: quales sunt, Plantare, purgare, eradicare, torcular premere, quæ omnes, Christianæ institutioni essent applicandæ.

PRAXIS.

Dominica VIII. à Pentecost.

Laudavit Dominus villicum iniquitatis quod prudenter fecisset. Luc. 16.

ACcessus & Propositio. Cum ea villici iniqui prudentia hodie memoretur, quæ & laudem Domini meruit, & cæteris notam inussit, *Auditur enim. Filii hujus sæculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua*, æquum est, ut in quo illa eluxerit, diligenter pensemus: quatenus, à vituperio insipientium coram æquissimo judice liberemur.

Confirmatio, per proprietates, prudentiæ villici, ad nos relatas

Et prima quidem prudentiæ villici proprietas est cogitatio, agnito recipiendæ villicationis periculo, de ordinando statu suo in futurum suscepta. *Quid inquit faciam? Quia Dominus meus, aufert à me villicationem.* Præsentissimum imminentiū malo-

malorum, aut præsidium, aut levamen. *Quid faciam?* Non est sapientis, dicere non putabam: quod in re quavis verum est, in re salutis æternæ verissimum. Dormitantibus sponsis vox audita. *Ecce sponsus venit*, dormientibus etiam hominibus, *inimicus homo super seminavit Zizania.* Tam faciles miseri ad somnum sumus, tamque negligentes futurorum, ut merito, Chrysol. illud Serm. 39. usurpare liceat. *Hospes in domo est, morbus, pericula, mors, æternitas, & tu dormis? Quid faciunt qui se non in cubili, sed in ipso collocant sepulchro, qui se non somno, sed morti tradunt?* Rex Chaldæus Balthasar, in medio convivio scribentem dexteram, in pariete vidit, quæ illius pericula denotaret. Habuit ejus rei interpretem fidissimum Danielem, neque tamen quidquam ad vitanda pericula, egisse legitur. Idem Dario, Nabuchodonozorique evenit, His plurimi similes. Quanquam innumeris vocibus, ac exemplis de imminentibus malis, moneantur: in utramque aurem dormiunt. Quotus est, qui secum sedulo agat, mors imminet certa, quid faciam? Hora ejus incerta, quid faciam,

Reddenda ratio villicationis, quid faciam? subeunda sententia judicis, quid faciam? à momento pendet æternitas. Quid faciam? Longe quam aliter David Pſ. 76. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Longe aliter, & Ethnicus Seneca epiſt. 102. ad Lucol. *Iuva de æternitate animarum quærere, Credebam enim facilè opinionibus magnorum virorum, dabam me ſpei tantæ, jam eram faſtidio mihi, jam reliquias ætatis infractæ contemnebam, in immenſum illud tempus & in poſſeſſionem omnis ævi tranſiturus.* Heu ſi in his quoq; filii ſæculi, prudentiores ſunt filiis lucis? *Secunda Prudentiæ* villici proprietas. Quia maturè periculis ſuis providit. Ad primas ſcilicet minas, cum nondum, domino, rationum monimenta in manus tradidiſſet; convocatis debitoribus. *Quantùm inquiebat debes Domino meo &c.* Quam procul illi ab hac prudentia? qui omnia in ulterius differunt, nec maturè rebus conſulant. Una pene ætate vixerunt, authore Floro. Reim. Chriſtiern⁹, Rex Daniæ, & Auguſt⁹ Poloniæ, quorum alter vulgi ſenſu, Rex heſternus, craſtinus alter; dicebatur.

 Nimi-

Nimium quam multi hesterni, crastinique homines, qui quod agendum est, aut in serum differunt, aut actores se fuisse antea profitentur, si agendum occurrisset. Qui propositum statim urgeant, qui pericula se eludere non posse credant: qui voci scripturæ monentis 94. Psalm. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* attendāt, paucissimi. Tum solùm hodierni esse amant, cum acclamatur, diabolico, ut ait D. Bonavent. in 2. Sap. invitatorio. *Venite fruamur bonis*. Refert D. Damia. Epist. ad B. Dominicum Loricatum, usitatum id Dei voluntate, Vesuvio: quod quando aliquis dives reprobus, in vicinia moriebatur, flammas ingentes fundere consuevisset. Accidit igitur ut Abbati Desiderio inter ejusmodi incendia, apparerent aliquando dæmones, materiam multimodam, igni fovendo aptam colligentes: & in Vesuvium congerentes, fassi etiam sunt, qui essent, & cui incendia pararent, præstolamur, inquiebant, Principē Capuæ Pandulphum, & Ioannem Magistrum militiæ Neapolitanæ. misso nuncio compertum Principem dictum, illo tempore mor-

mortuum. Ioannes autem Magister ab Abbate admonitus. *Nunc*, respondit, *obviam ibo Imperatori* (Otho II. erat) *porrò, post ejus adventum spondeo me seculum deserturum.* Heu hominem in tantis periculis nimium incautum! ideoque perditum, nam ante Imperatoris adventum, cum 15 dies vix supervixisset, miserè est extinctus. Idem memorat, Salernitanum Principem, cùm vidisset Vesuvium exundantem, edixisse. *Sceleratum aliquem ditem, in proximo procul dubio moriturum, & ad infernum descensurum.* Dixit, nec sibi cavit, eademque nocte in scelere à morte interceptus. Vix ullus est, vix est in inferno, cui non hæc imprudentia nocuerit. Periculis maturè non occurrisse, quibus occurrens iniquitatis villicus, laudem meruit domini.

Tertia proprietas prudentiæ villici laudatæ est, quia ad evadendum malum, quod metuebat; media quàm aptissima quæsivit, deliberavit enim secum, an egestatem imminentem laboribus pellere posset, aut mendicationes & postquam conclusisset. *Fodere non valeo, mendicare erubesco*, tum verò

verò id quod sibi uni unicè proficuum videbatur, elegit scio quid faciam &c. Daniel. c. 4. posteaquam Daniel Nabuchodonozori interpretatus fuisset somnium, de arbore succissa, subdidit protinus. *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Gen. 40. posteaquam Ioseph famem imminentem Pharaoni prædixisset subdit pariter. *Nunc ergo provideat Rex, virum sapientem & industrium &c*, scilicet veræ prudentiæ certissima lex est, fine proposito, media ad eum consequendum apta prosequi. Quis navigat sine remo? quis bella gerit sine gladio? quis messem sperat sine semine? quis botros, sine cultu? In omni naturæ opere prudentes, in salutis causa maxime stulti sumus: & cum finem nos intendere profiteamur, media aut deserimus, aut negligim⁹, & fortuita amplectimur. Quod medium certius naufrago, quàm tabula? tabula pænitentia est quàm fugimus: quod vulneri, quàm medicina? Medicina emendatio est, quam non curamus, quod ruituro jamjam parieti propinquo,

quo, quàm recessus? ruina ruinarum, mun-
dus est, quem amplectimur. Huic socius,
illi domus, officium alteri causa ruinæ est.
Clamat igitur Cyprian. lib. de spec. *Qui
sponte corruit, quid faciet, si fuerit impulsus?*
Monet rursus idem lib. de singular. Cleri-
cor. *Nunquam securus, cum thesauro,
latro tenetur inclusus: nec intra unam ca-
veam habitans cum lupo tutus est agnus: ipse
se voluit superari, qui hostem proprium in
suas portas induxit.* Neque tamen his
movemur, aut media periculorum evaden-
dorum arripimus. Illa vero hac in parte
stultitia maxima videtur, maximamque
orbis partem occupavit, quod cum omnes
ad beatam æternitatem se tendere velle
dicant, & ad eandem, viæ sint diversissimæ,
adeoque, alius alteri status ad id proficuus
aut nocivus sit, turbatissimo ordine in vitæ
pericula ruimus, aut parentum conditio-
nem, aut fortunæ aspirantis ventos secuti,
rarissimèque omnino cogitamus, an hac
vel illa via æternitatem attingere possimus:
atque ita mediis ad beatum finem obtinen-
dum conformibus omissis, ipsa beatitudine
excidimus. Heu utinam vel hîc sapiamus!
Ubi

Ubi una electione statûs felix, aut infortunata eligitur æternitas.

MODUS LII.

ANotatione seu Ethymologia nominis, quando scilicet origine nominis deducta, probetur id nominis rei convenire, vel non convenire. E. g. si in festo SS. Apostolorum Petri & Pauli D. Petrum esse veram solidamque petram probes. 1. quod fundatam super se Ecclesiam sustineat firmissimè, 2. quod adversariorum impetus retundat robustissimè, 3. quod quanquam cunctis emineat altissimè, radices tamen in terra per humilitatem agat robustissimas. Unde & D. Petrus capite ad terram verso, crucifigi voluit.

Ad Notationem, revocanda Anagrammata nominum, quæ dum sint gravia, convenientem oratori sacro dabunt materiam. E. g. in Festo S. Casimiri M. D. L. Patroni, posset nomen ejus anagrammaticè explicari. Casimirus *sum ac Iris* quod aptè illi applicaveris, sive quod schismate sublato, pacis inter Deum & Litvaniam signum dici possit, unde & in Polonico idiomate nomen

nomen ejus olim pronũtiabatur *Kazemirus* quod, autorem pacis significat, sive quod, ut iris à sole, ita ille à SS. Eucharistia, quam poné noctes exigebat lumen mutuabat: sive quod candor iridis ejus punctum viror virginitatem, rubor, mortem amare castitatis electam denotat. Rursus Casimirus *Casus miri* anagrammaticè redditur. O quot miri casus in Casimiro! jacent regna contempta infra pedes, & vita infra virtutem. Unde illud,

Spõte cadis, sed ãore cadis Casimire pudoris.
Mirus te Christo mirificante cadis.

Sic & Ignatius, dicitur ignis natus, ad illuminandos homines, ad accendendos frigidos, ad exurenda vitia.

Modus promovendi orationem à Notatione sive sit illa una, sive plures, idem tenendus, qui præscriptus est, de Definitione.

PRAXIS

In prædicto Festo S. Casimiri Patroni M. D. Litvaniæ.

Casimirus. *Anagramma. Mirus Isac.*

Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Luc. 12.

Acces-

ACcessus & Propositio. Nomina à DEo ad significandas virtutes SS. imponi, tum Abrahami, & D. Petri exemplo, tum aliorum multorum patet. Inter hos ego numeraverim D. Casimirum M. D. L. Patronum. Quid ita? urgent cùm alia significata ejus nominis virtutibus D. Iuvenis significandis cognata, tum id, quod Casimirus, vocibus paululum mutatis redditur *Isac Mirus*. Mirus Isac, Casimirus, quia pariter ac ille, à prima ætate virtuti addictissimus, Mirus Isac Casimirus, quia pariter ac ille, divinorum contemplator deditissimus: Mirus Isac Casimirus quia pariter ac ille, divinis legibus obedientissimus: illud tamen præ cæteris, Casimirum facit Isaacum Mirum, quod sicut Isaac sub gladio parentis constitutus, fieri voluit victima DEO gratissima. Ita D. Casimirus, Isaac nobis mirus, vixit ceciditque victima, ejusdem Majestati devotissima. Huic tanto operi pensitando, nunc insistam, & cum D. Casimirum, factum esse victimam Dei, eamque miram demonstravero, abundè id quoque patebit, quod is fuerit Isac mirus, & quod eum Dominus, invenerit vigilantem.

Con-

Confirmatio, Divus Casimirus fuit victima DEO sacra, eaque mira, in sui devotione & immolatione. Igitur fuit Isac mirus.

D. Casimirus victima DEo sacra: notum illud D. Isidori lib. 3. ep. 75. *Pulcherrima victima est piam mentem & castam carnem habere.* Duo hæc sunt, quæ hominem constituunt, & duo sunt, quæ sanctè culta, eundem Deo consecrant Psalm. 4. *Sacrificate sacrificium justitiæ.* Quid justius, quàm ut ei te des, à quo te accepisti? quid sanctius, quàm ut totum des, quod accepisti? Hoc vero est mens pia, & corpus castum. Hæ sunt primitiæ hominis, DEO caræ, hoc par turturum aut columbarum, à matribus post partum offerri præceptum, sed & ab ipsis nobis offerendum; atque à D. Casimiro, promptissimo animo oblatum. Cum, ideo è communi vulgo exemptus, & Regio sanguine ortus, videri potest, ut Principatibus, & Regnis se manciparet: Deo priùs sacrari voluit cujus Majestati animo addicto, corpus quoque castitatis inviolabili amore Regius Princeps sacravit: ut quantus quantus viveret, ac quantus

quan-

quantus occideret, victima DEO viveret, occideretque. Sed neque qualiscunque victima, verùm mira in sui devotione, mira & in immolatione, ut quàm excellentissima ratione, *Casimirus, fieret Isac mirus.* Mira igitur hæc victima in sui devotione, quod ut pateat, revocandum est, quod capite Gen. 22. habetur, Dominum scilicet tentâsse Abraham, cum diceret. *Tolle, filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac: & vade in terram visionis, atq; ibi offerres eum in holocaustum.* Quibus verbis contineri præceptum, Abrahamum ad immolationem filii obligans, autores consentiunt. Grande sanè præceptum, grandis obedientia Abrahami, grandis & Isaaci, qui ita voluntatem DEI à parente cognitam sit veneratus: ut mortem, ad ejus placitum libens elegerit. & illi se devoverit. Nihil minus in D. Casimiro cogitandum, illud autem, ut pote in Isaac miro magis quoque admirandum: quod nulla lege, nullo præcepro arctatus, ad mortem pro DEI placito subeundam se devoverit: virginitatis gloriam: Christo intemeratam oblaturus. Certè si mors ea de causa suscepta

defuis-

defuisset: vita ipsa, castè atque intemeratè exacta mors haberi debuisset, & Casimirum victimam miram, mirumque Isaacum effecisset. Hoc significavit ante Paulus, cum Romanos cap. 12. obsecraret, *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam, DEO placentem.* Hoc denunciavit Magnus Tertullianus lib. de velan: Virginib. cum virginitatem definivit. *Virginitas est curarum silentium, pars carnis, virtutum Principatus, naturæ oblivio.* Religiosus vir diu eremum (in V. V. Patrum) incoluerat, cum ejus german⁹ auxilii sæcularis egens, Eremitam adiit, ut sibi prodesset rogaturus. Respondit ille, ut pergeret ad 5. fratrem: quem, cum alter defunctum paucos ante annos nuntiasset. Atque ego, inquit, à tot annis, quot à mundo secessi mortuus sum. B. quoque Basilius apud Nazian: in ejus laudem: cum judex tormenta minitaretur. *Quid agere; inquit, tormenta queant, cum corpus desit?* Hos tales viros nemo non sacras DEO victimas dixerit. Talis certè apud Deum haberi speravit August. de utilitate jejunii, cum dixit *Excrucio me, ut ille parcat, do*

de me pœnas ut ille subveniat; ut placeam oculis ejus, & delectem suavitatem ejus, Nam & victima excruciatur, ut in aram imponatur. Iungamus hic, Isaac mirum. D. Casimirum. An non hic, dum virgo vivit vivus moritur, dum vivus moritur vivus fit victima, eaque mira: sive quod tam facilè spontanea, sive tam promptè, DEo devota. Nondum strinxit mors gladium, sed jam transfixit victimam felicem, virginitatis martyrium: nondum concidit corpus, sed jam jacet corporis indulgentia: nondùm sublectus sentiendi vigor, sed jam præcisa sentiendi licentia: nondum transactum hostiæ caput, sed jam trunca in innocente voluptas: nondum divisus à consortio corporis animus, sed jam separatus ab illecebris mundi, spiritus vivit, & mortuus est, sentit, & sensu caret. Regnis præest, & in supremæ majestatis cultum, DEo, Regi, occidua victima adsternitur. O Casimirum, Isaac mirum! o miram victimam! atque dignam, quæ ipsa, sit *victima & altare* quemadmodum D. Hieronymus virginem ep. 8. ad Demetrium appellat. At non desunt aliæ quoque aræ, ad quas

ad quas hanc victimam mirus hic Isaac devoveat. Quid enim aliud agat, illa pietas, qua noctes perpetuas, ante templũ D. Stanislao Vilnæ sacrum, exigit? quid illa, quâ sacerdotibus litantibus procidũus in terra, Princeps adest? quid, quâ templa ignoto hominibus habitu, & non rarò suis quoque satellitibus contempto, veneratur? Virginitati hæc sacra litantur, Casimirus DEo victima occumbit, sed parum hæc sunt Casimiro. Cum vivens factus sit DEo victima, moriens quoque victima cadere cupit, adeoque ut virginitatem semel devotam, integram conservet, cum medicorum sententia & consilio vivere non virgo posset, mori virgo mavult. O Casimirum, nimium iterum Isaac mirum! O admirandum vitæ contemptorem! O triumphatorem mortis prædicandum! delectet spectaculum morientis, quib⁹ probetur exemplum viventis: jacet Regius adolescens, Principe insignis purpura, ponè illum sceptrum & diadema, sanguinis, & successionis insignia. Turba frequens aulicorum, consanguineorum, amicorum circumstat, parens senio mæstus, lacrymis cara colla

 rigat,

rigat, omnes suam felicitatem, suum decus in ejus vita situm, supplices profitentur. Ætas, alia parte immatura, Regum opulentia, Princeps libertas, illecebræ voluptatum; comitatum, & suffragia hominum augent; unum rogant, unum suadent vivere velit, proposito cedat. Quid hic agat, fortissimorum unusquisque, quò se vertat discat à Casimiro, si à virtute non didicit; *Malle mori, quàm fœdari.* Maluit enim verò ille; & vitæ defectu, amore virtutis suscepto, obiit. Videte ut hic gloria Divi Casimiri assurgit, ut & Isaac vera mortis immortalitate, & mirus Isaac suspici debet. Gen. 22. posteaquam gladio subductus est Isaacus, dicit Dominus ad Abraham. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi.* Verissimè Theophil. *Liberalis munerum nostrorum est acceptor DEus: cui desideria usq; adeò accepta sunt, ut pro opere libenter acceptet.* Et Nazian. Oratione de Laud. Basil. *Magnus Abraham es Patriarcha, & novæ victimæ mactator.* Est tamen suum quoque operi pretium, est morti non solùm nolitæ sed & debitæ. Unde Psalm. 125. *Pretiosa in conspe-*

conspectu Domini, mors sanctorum ejus. Magnus Abraham novæ victimæ mactator, magnus Isaac novæ victimæ susceptor; Magnus & Isaac. ac inde Isaac mirus Casimirus ipse, difficillimæ mortis pro DEO susceptæ nova victima, novum sacrificium, holocaustum. Non dixerim in hac Isaaci mori volentis, & Casimiri morientis comparatione quod Zeno Veron. Serm. 1. de Abrahamo, noctu consurgente, ad immolandum, dixit. *Facilè est incessisse scandamus montem, jungamus ligna, exeat gladius:* illud tamen meritò revoco, quod apud D. Paulum 2, ad Corinth. 4. lego. *Vt sublimitas sit virtutis DEI, & non ex nobis* quæ illa? *Si forte tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed non destituimur, deijcimur sed non perimus.* Scilicet, non humanarum virium est, in tot difficultatibus operum heroicorum, illas timere, triumphare: sed virtutis DEI sublimitas, & ut Græca habent *Hyperbole virtutis Dei.* Hæc Hyperbole igitur, hæc sublimitas in D. operata Casimiro, cum tam liberalis victima castitatis caderet. *Casimirus, Isaac Mirus.* Contēplatus Abrahæ

& Isaaci holocaustum zeno, qui supra, lib. de patientia exclamavit. O *novum spectaculum! ac verè DEo dignum, in quo finire difficile est utrum sit patientior victima an sacerdos? non percussoris, non percutiendi claudicat color, non membra tremore vibrantur, non demissi, non torvi sunt oculi. Nemo rogat, nemo trepidat, nemo se excusat, nemo turbatur, ne verè sit parricidium. Ille erexit gladium, iste cervicem sub tanto, non dico humanitatis, sed naturæ metu, læti sunt, medius stupet gladius, nullo impedimento suspensus.* Quid obsecro in spectaculo immolati Casimiri, dicemus! An non hoc quoque novum, & DEO dignum spectaculum? sub paterna manu Isaac, sub mortis ictu, CASimirus spectatur, Non quæritur verò, patientior sit victima an sacerdos? quia ipse victima & sacerdos: Inde tamen, non percussoris, non percutiendi claudicat color, suam contra se, non manum, sed virtutem armat, non membra tremore vibrantur, non demissi non torvi sunt oculi. At rogat Pater, trepidat curia, turbatur Regnum, ne verè sit parricidium. Gloriæ ista ma-

teries,

teries, non imminutio est: dum Casimirus, sub totius naturæ metu solus lætus est, *dum in tantis casibus, gaudet: & se Dominū promeruisse*, quod item, Zeno dicit, *triumphat*. Quærit. Basil. *Seleu*, orat. 7 quid sit, quod Abraham immolaturus filium, id secreti, Saræ uxori non prodiderit, & respondet. *Facinus tam audax, Saram celat, neq; ad matrem affert mandata. Quamobrem? amans DEI est at ingeniū ejus vereor. Intueor matris in DEVM propensionem, ac metuo affectum in liberos. DEI amans est mulier? at mater est. Mulieres, naturæ impotentiâ devictæ, res importuna. Vereor ne lacrymis sacra fœdet, ne puero complorato injuriam imperanti arroget: ne vultu confuso, sacra disijciat, Deoq; vim afferat: ne mente infracta, rei tam stupendæ, gratiâ spoliet.* Cessêre hæc omnia pericula Casimiro, cessêre Isaaco novo, ac miro, nihil lachrymæ parentis, nihil dolor, nihil gemitus innumerorum in fortissimum pectus valuit. Non celata victimæ necessitas, sed sponte suscepta: non imminuta, innumeris artibus devotio, sed accensa sanctitas: manus quoque ejus

ligatæ non sunt. Invisus mundo, carni, vitæ, morti, suapte ac constantissime DEo se obtulit victimam, Casimirus Isac mirus,

MODUS LIII.

FOrmari solet Propositio in terminis ita oppositis ut primo aspectu repugnantia, aut contraria proponi videantur, quæ deinde explanata & probata totam constituant orationem, E. g. Dominica Septuag. ad illa verba. *Quid statis otiosi?* proponi posset, dari negotia otiosa, & otia negotiosa. Dominica VI. Epiphan. de grano sinapis. Cælum esse maximum & minimum vel amarulentum & dulce. Dominica XX. à Pentec. *nisi signa videritis.* Oculos verissimos esse testes, & falsissimos, veri enim sunt in humanis, falsi in Divinis rebus.

PRAXIS

Dominica IV. Quadragesimæ

Colligite fragmenta. Ioan, 6.

ACcessus & Propositio. Nemo est, qui non meritò miretur, hanc tam mirabilem panum multiplicationem, quæ non modò satiavit, quinq; panibus, totidem millia

millia hominum: verùm etiam insuper 12 Cophinos fragmentis implevit, quib⁹ Christus: *colligite fragmenta.* Huic miraculo par, sed usu minus D. Augustinus agnoscit, pasci tot sæculis, de paucis granis totum orbem. Simile & aliud notare, possumus quod est, dari majus quæ cum liberalissimè multa dent, dando rem, augeant, & dari alias manus, quæ cùm studiosissimè bona congregant, illa dissipant. De utraque manu loquemur.

Confirmatio, per explicationem, quæ manus dando habeat, & quæ colligendo dissipet.

Manus quæ impendendo liberaliter retinet ac auget, est manus eleemosinaria Eccl. 17. *Eleemosina viri, quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis, quasi pupillam conservabit.* Non perit quod in eleemosinas datur, sed à Deo mirâ conservatur diligentiâ, quasi pupilla; nec alio transiisse videri debet, sed est cum homine, quasi signaculum illius hominis, aut ut alii *quasi sigillum* ex quo noscatur homo talis à Deo aut denique ut rursus alii habent, *quasi sacculus cum ipso*, in quo utique optimè

res ſervantur. ſcitum de Tiberio Chriſtiano Imperatore, qui ſolicitæ de continuis eleemoſinis uxori ſolitus erat reſpondere. *Deus providebit*, quemadmodum ſcilicet ille, aurea cruce inſignitum, ſub marmore invenerit theſaurum, cui inſcripta fuiſſe illa verba. *In paupere aurum, in corde ſecretum, in Deo vitam tuam credito.* Lego apud Neot. in Ioan. Cauſa propter quam multiplicati ſunt hodie panes, & quamvis diſtributi ſuperfuerunt, princeps eſt, manus divinæ attactus, de qua Hier. in cap. 14. Matth. *frangente Domino, ſeminarium fit ciborum.* Hac manu ſacrantur omnia, quæ in eleemoſinam dantur. Vir enim eleemoſinarius, vir Deo plenus eſt, adeoque manu Dei utens, de qua pſaltes 144. *Aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione* D. Auguſt. Serm. 231. de tempore, ut id evincat, hac ratione à contrario utitur. *Qui tales ſunt*, (id eſt parci,) *pauperi eleemoſinam petenti dicunt, vade, vade in ante & dabit tibi Deus, & utique dum ambulaverit, homo ei daturus eſt. Quid eſt ergo quòd dicit, vide in ante & dabit tibi DEus, niſi vade ad illum hominem,*

nem,

nem, qui habet Deum, quia daturus est DEus. En ut quod homo dare videtur, dat DEus! unde data illa de manu DEI provenientia, conſervari ac augeri convenientiſſimum. Sed ne hæc myſtica cuipiam videantur, audiat edictum. Proverb. 3. *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Audiat Nazian. orat. de Baſil. dicentem, eleemoſinam eſſe *pietatis promptuarium, commune locupletum ærarium.* Locupletum dicit, & non pauperum, ut norint non ſolùm pauperes, unde ſperare poſſint opes: ſed & divites, ubi ſervare illas valeant. *Date, & dabitur vobis* dicit Chriſtus, quod nobili exemplo confirmatum, (narrat ſpeculum Exem.) in monaſterio virorum religioſorum quos abunde alebat pietas opulentorum, dum illi quoque ſuccurrerent neceſſitatibus aliorum pauperum. Accidit igitur ut non nemo Abbatum, natura & vitio parcior, conſuetam pauperum portionem ſubtraheret. Minui inde, reditus conventus, atque ad ſummam egeſtatem redigi: dum pauper ignotus portæ

portæ accedens, eleemosinam olim consuetam peteret. Cui respondens portæ custos. *Alia, mi frater, nunc status nostri conditio, quam ut aliquid cōcedere possimus. Nos quoq; nostra conficit egestas.* Tum peregrinus, hujus verò rei quæ putas causa? ignotam sibi respondit religiosus. Igitur ego pandam, pergit peregrinus, & hæc est. Duo fratres hoc olim incoluêre monasterium. Alteri nomen, *date.* Alteri, *dabitur vobis:* illum vos, per vestram in pauperes tenacitatem claustro exclusistis, hic, DEi voluntate, abeuntem fratrem, secutus est. Revocate igitur *Date*, & veniet *dabitur vobis*, quod mox mutatis parcitatis legibus, ille expertus est conventus, experieturque *quisquis* DEI causâ munificus esse voluerit.

Manus, quæ studiosè bona congregando ea perdit.

Est manus, quæ bona iniquè contra DEi vetitum congregat, sive id fiat per avaritiam, sive per injustitiam. Primum & secundum disertè edisserit Psal. 36. *Mutuabitur peccator, & non solvet: justus autem miseretur & tribuet.* De posteriore

Iob.

Iob 20. *Divitias quas devoravit evomet, & de ventre illius extrahet illas DEVS.* Verè, avarorum & injustorum, sepulchrum patens est guttur, de quibus Psalm. 61. *Dilexisti omnia verba præcipitationis.* Hebræa legunt *Devorationis*, sed nec hoc sepulchro condent malè parta quin illa extrahat Deus. *Leo rugiens, princeps impius, super pauperem* Iob. 28. Quis hunc? aut quis huic similem Leonem non expavescat, nihilominus breve tempus est dum audiatur, quid Psalm. 33. ait. *Divites eguerunt. Leones esurierunt.* Unde idem Iob rursus capite 27. *Si comparaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimenta, præparabit quidem; sed justus vestietur illis, & argentum innocens dividet. ædificavit sicut tinea domum suam.* Benè sicut tinea, quæ domum suam perdit & corrodit, dum præparare videtur: quo & D. Nazian. annotans orat. 9 ad Iulian. *Ne ex aliorum egestate opes nostras comparare sustineamus: neque cum aliorũ lacrymis misceamus, à quibus tanquam à rubigine tineaque consumentur,* Oseæ 8. *In aranearum telis, erit vitulus Samariæ,*

quia ventum seminabunt, & turbinem metent: culmus stans non est in eo, germen, non faciet farinam, quod & si ferent, alieni comedent eam. Mirum est, vultum in aranearum telis hærere posse, sed id DEVS facit, dum insolentes, & de alieno pingues, in suis laboribus iniquis, supra quos ut araneæ eviscerantur, capit: ut fructum eorum non percipiant & cum multas vanasque spes, tanquam ventos seminaverint, ac turbinem & afflictionem pauperum messuerint, lucrentur nihil; perdant speratum fructum, opes divitias Insuper.

In prolem dilata ruunt perjuria (& cætera scelera) *Patris.*
Et pœnam merito, filius ore bibit. Claud.

MODUS LIV.

PErcepto sensu thematis inquiritur, qui sint sensus hominum vero illi sensui Divino contrarii, aut disparati: aut deniq; quacunque ratione oppositi. Collectis deinde his sensibus, verba insuper aut sententiæ, oppositæ sensui scripturæ, tanquam ab adversantibus prolatæ formantur. Inde ad eorum examen, & reputationem quæ

tota

totâ diffunditur ratione descenditur. E. g. Dominica 5. post Pascha. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*, potest procedi sic. Et magna, & certa Christus promittit, nec tamen satis fidem invenit; sunt enim qui voce, & vitâ clament. *Non petam & non tentabo.* *Sunt* qui censeant. *Petam, impetrabo sed non omnia.* Cum his agam & ex iis vos quid sentire debeatis intelligetis. Similiter Dominica Passionis super illud Thema. *Quis ex vobis arguet me de peccato*, quo significatur à nemine posse opera Dei argui, potest procedi sic. Nemo erat apud Iudæos, qui innocentiæ Christi certissimæ, aliquid obijceret, & inveniuntur apud Christianos qui justitiam DEI exagitent. Quærat enim hodie, quod tum quæsivit Christus, & respondebit Calvinus. *Ego.* Respondebunt Pusillanimes. *Ego.* Respondebunt, & scandalizati. *Ego.* Quia scilicet, Calvinus facit Deum Authorem peccati. Pusillanimes in eundem rejiciunt, quod ad meliorem frugem non resurgant. Scandalizati, toties inquirunt, quare properatur impius? O monstra audaciæ, & sententiarum! stemus contra illa

pro

pro DEO, & jam expugnemus &c.

PRAXIS
Dominica IV. à Paschate.

Vado ad eum qui misit me. Ioan 16.

ACcessus & Propositio. Hic est finis omnium, ut ad eum perveniamus, à quo in hanc vitam missi atque editi sumus, DEum: hoc etiam studium debet esse omnium, ut ad eum continuò pergamus, dicamusque omnium voce actionum. *Vado ad eum qui misit me*, sed ô quã diversus multorum sermo! sunt, qui, ut in magnis itineribus solet, quiescant, sunt, qui ab oriente ad occidentem pergant; sunt, qui exercent & divagentur; atque cum una vox, esse debeat omnium. *Vado ad eum qui misit me*, alius ait, *Abscedo*; alius *Quiesco*; alius, *Divagor*. Audiit has voces D. Aug. Tit. de reditu ad patriam, & audi. tis, ad cæterorum cautelam, hæc conclusit. *Via ista nostra, ambulantes quærit. Tria sunt genera hominum, quæ odit, Remanentem, Retrocedentem, Aberrantem.* Placet tantisper inhærere sensui, & reclamantium CHRISTO, expendere errores. Ad DEI gloriam.

Confir-

Confirmatio, à rejecto ſtatu illo triplici, Receſſus, Quietis, Erroris.

Via cæli odit retrocedentes, quorum vox, *Credo. Nemo ſcilicet, mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno cælorum* Luc. 9. unde & horrendum illud, Pauli ad Hebr. 6. *Impoſſibile eſt, enim, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & prolapſi ſunt rurſus, renovari ad pænitentiam*, additque quod *talium conſummatio, ſit in combuſtionem. In principio lapſis venia datur ab omnibus; ob imperitiam*, ait os aureum, *ſed eum, qui, poſt multos curſus conciderit, niſi dignum venia judicaverit.* 2. Regum 18. Commiſſo prælio Abſalon profligatus eſt, ceciderentque 70. Millia exercitus; qui, cum re deſperata cederet, ſaltum retro ſuperandum habebat, de quo ſcriptura. *Multò plures erant, quos ſaltus conſumpſerat de populo, quam hi, quos voraverat gladius.* Cum primum homo, viam cæleſtem, virtutis amore ingreditur, ingentem ſaltum poſt ſe linquit periculorum, occaſionum, peccatorum, mortis, inferni. Videat ergo qui hanc ſuperare poſſit, poſtquã

profligatâ constantiâ retrocedit. Dubium interea non est, quod innumeros hic saltus consummat; quem viris religiosioribus D. Bernar. Serm. 63 in Cant. proponens, sic ait *Præsumitur ille saltus, de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de cælo in cœnum.* *Nascituro Servatore* nostro, orbis describitur Luc. 2. Reddit causam D. Ambros: in caput idem Lucæ. *Quando nascitur CHRISTVS omnes profitentur, non enim Augusti, sed Domini est terra.* Quid deinde? patebit cum sanguinem circumcisus infans fuderit, de quo Hugo de S. Victore Serm. 49. *Nova circumcisio, novum nomen, nova hæreditas, novus populus, novus ritus, novus annus.* Hem Christiani, sanguine Christi, hæredes cæli scripti sumus, attamen, Ierem. 17. *Recedentes à te, in terra scribentur.* Proficientiũ, non recedentium, privilegium est, cælis inscribi: illi verò, suis sua nomina insculpere marmoribus, sive inferant scripturæ, sive affingant imaginibus, recedentes à DEO, ab eodem in terra scribentur: cujus scriptionis, si quem latet mysterium, consulat Authores, quid Iesus scripserit, cum illum

illum ſcribentem; deſcripſit. Ioan. cap. 8. v. 6. *IESVS autem inclinans ſe deorſum, ſcribebat digito in terra*, peccata ſcilicet, ut multi ſentiunt, & damnationem Phariſæorum: quibus quiſque pro ſe lectis, non ſuſtinuit vultum CHRISTI, ſed unus poſt unum exibant.

Via cæli, *odit Remanentes*, quorum vox *Quieſco*. O miſeram hominum cæcitatem! qui aliter judicant de rebus, quàm ſint. Ibi quærimus gaudia, ubi locus lachrymarum, ibi quietem, ubi ſedes laborum; Quis his quieſcat? ubi nos, volentes, nolentes, anni noſtri auferunt. *Nam ſicut in navibus* Ait Ambr. *dormientes aguntur in portus, etſi nullus ſenſus ſit navigandi, ita & nos dum quietem ambimus ſine ſenſu abripimur.* Rurſus idem. *Surge qui dormis. Tu dormis & tempus tuum ambulat: & inde, ne dum tu dormis, tempus tuum prætereat; ideò etſi dormis, cor tuum vigilet, ne feriatur.* Nemo in vita, quietem annorum aut laborum quæſiverit, nemo illam invenerit. Cùm Conſtantinus à nomine ſuo Conſtantinopolim inſtitueret, limites urbis ipſe Imperator, tam latè metiebatur, ut ad-

ut admirans, aulæ Præfectus quæreret. Quousque Domine? Respondit Imperator. Quousque qui ante me præcedit. Chol: in Polit. Hoc sibi Christianus sæpè dicat, his ignaviam, interrogantem, quousque? retundat. *Quousq; qui præcedit*, O qui dicit *discite à me quia mitis sum & humilis corde* Matth. 11. *Estote perfecti sicut & Pater vester perfectus est*, Matth. 5. sequimini. *Vado ad eum qui misit me* Ioan. 7. Gen. 17. Vidit Iacob scalam, & in ea Angelos descendentes, atque ascendentes, neminem sedentem, neminem quiescentem. *Ego, pietatis exercitationem scalæ Iacob visæ rectè comparavero*. ait Basil. Capad: in Psal. 1. Agendum est, laborandum, DEus spectator est, idemque merces. Tum primum quiescemus, cum spectatori DEO placuerit. 1. Gen. 49. de Iacobo Patriarcha *Collegit pedes in lectulum & mortuus est*. Non priùs collegit, non prius quievit, quàm mors supervenit, à qua, *A modò jam dicit spiritus*, Apocal. 14. *ut requiescat à laboribus suis*, spiritus dicit, non caro, non homo, non tepor, non ignavia, unde & opera Beatorum sequun-

sequuntur illos, tanquam collecta & consummata: non se ante faciem ostentant, tanquam gloriabunda, & agenda. Quiescentes in via Amalecitæ 1. Reg. 30. percussi sunt à David, plaga suprema.

Via cæli odit *Errantes* quorum vox, *Evagor*. Hi sunt qui viam quidem Domini desertam nolunt, sed multa sibi concedunt, & dum & DEO, & sæculo vivere volunt, in illud D. August. Confess. 7. capite 21, impingunt. *Aliud est de Sylvestri cacumine, videre Patriam pacis, & iter ad eam non invenire; & frustra conari per invia, circum obsidentibus & insidiantibus, fugitivis, desertoribus, cum Principe suo leone & dracone: & aliud tenere, viam illuc ducentem, curâ cælestis Imperatoris munitam, ubi non latrocinantur, qui cælestem militiam deseruerunt.* At avocat de itinere, commune humani consortij diversorium? Nunquam tale quietum, rarò tutum. At, amicus prope habitat? Nemo amicus, qui causæ salutis nocet. Sed & Angeli hospitârunt apud Abraham. Nondum corpus abjecisti, vide ne dixeris. Risum mihi fecit Dominus, sed & Loth, inter

impios pius? Hic quoque eorum flammis arsisset, nisi miraculo eductus fuisset. Proverb. 21. *Vir qui erravit à via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur* facilè de via deflectitur, sed nimis arduum, Gigantum insidiantium, manus evadere. *Iuravi*, inquit, Dominus Psal. 94. *in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Vis causam iræ. *Semper hi, errant corde.* Non est seria confessio, non vera pænitentia, ubi facilè de via deflectitur. Erratur corde, & Dei ira concitatur. Prov. 26. *Dicit piger, leo est in via.* Pigri hæc vox, nemini audienda. Neminem hic leo devoravit. qui in via perrexit, sed de eo scriptum *Conculcabis leonem & draconem*, dummodo pergere audeas: at, est alius leo, 1. Petr. 5. designatus, qui *circuit quærens quem devoret*: in hujus fauces cadunt, qui de via errant, quemadmodum incidit apud Cantiprat. lib. 2. c. 30. qui post confessionem factam, in molliciem ipso die Paschatis revolutus, repente exclamavit. *Vindicta DEI, super me, vindicta DEi super me*, atque in his vocibus expiravit. Surgamus igitur, & Paulum imitemur dicentem, ad Phi-

ad Philip. 3. *Sequor autem, si quomodo comprehendam, sicut & comprehensus sum à Christo Iesu. fratres ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis DEI in IESV CHRISTO.*

MODUS LV.

A Comparatione similium, dissimilium, Parium, imparium, adeoque contrariorum sive unum cum uno, sive cum pluribus compares. Ut hac ratione facile in oratione procedatur, seliguntur aliquot rationes, membra, similitudines, paritates, aut disparitates, secundùm quas, res cum re confertur E. g. Dominica 14. Pentec. super illud. *Nemo potest duobus Dominis servire*, posset instituti comparatio disparium Dominorum DEI, & mundi de qua ut sciant *distantiam servitutis meæ, & servitutis Regni terrarum* ait Dominus 7. Paral. 17. & Dominica V. post Pentec. Ira, tribus septa territamentis, judicij, consilij, gehennæ, posset comparari, leoni

triplicibus ligato vinculis. Multò magis eæ comparationes, currunt in laudibus sanctorum, ut si S. Ioannem Evangelistam compares, Aquilæ volanti, per ardua, cum Christum sequitur, per præcipitia cum gentibus & peccatoribus prædicat, per aëra, cum Divinitatem Christi explicat, In principio erat verbum &c.

PRAXIS.

In Festo Inventionis S. Crucis.

Sicut exaltavit Moyses, serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Ioan 3.

Accessus & propositio Eremus Israëlitica, & Calvaria, ad diversa hodie rapiunt animum spectacula. Ostentat eremus serpentem, de quo dictum. *Sicut Moyses. &c.* Ostentat Calvaria triumphalem crucem, cui hodiernus dies colendæ sacer est, & quam ponè Divus Nazian. exclamat. *Ecce lignum, contra lignum, & manus, contra manum* in Apolog. *Quæ dextræ extensæ sunt, contra eas, quæ claves affixæ, adversus remissas: quæ fines terræ moderantur, contra eam, quæ Adamum ejecerat.* Cedat tandem figura rei, & typus veri-

veritati, & nos Calvariam potius, sed jam triumphantem conscendamus; ut lignum crucis, contra lignum paradisiacum erectum, noscamus atque veneremur.

Confirmatio, à comparatione opposita, ligni Paradisiaci & ligni S. Crucis.

Ecce igitur. *Lignum contra lignum.* Lignum benedictionis, contra lignum maledictionis. Nimirum ad Galat. 3. *Redemit nos in cruce CHRISTUS, de maledicto, factus maledictum. In figura maledictus*, pergit Ambros. *in veritate autem, qui totius mundi peccata deberet.* 4. Reg. 6. posteaquam cecidit securis, uni ex filijs Prophetarum, *Hem, hem inquit, & hoc ipsum mutuo acceperam. Præcidit ergo Eliseus lignum & misit illuc, natavitq; ferrum, & ait tolle.* Vide gravissimum ferrum, ligno ex aqua attractum, & cogita, homines pondere peccati & maledictionis mersos, per lignum benedictos ac salvatos. Quid manifestius *hujus ligni sacramento*, monet Tertul. adversus Iudæos cap. 13. *quod duritia hujus sæculi, mersa in profundo erroris, à ligno Christi, id est Passionis ejus, in Baptismo liberatur.* Genes. 48.

benedicturus filios Ioseph, Ephraimo & Manasse, dextram posuit super minorem, & super majorem sinistram, efformans manibus signum Crucis. A signo itaque Crucis benedictio utrique venit, quamvis major obtigerit minori. Gaudet jam Hebræus benedictione, gaudet & gentilis majore; uterque à cruce accepta. Et ubi crux non benedicens, aut non benedicta. *In purpuris crux, in diadematibus crux, in armis crux, in toto orbe crux & super solem fulget crux*, ait D. Chrysol. adversus gentes. *Ecce lignum benedictionis, contra lignum maledictionis. Ecce lignum contra lignum*, lignum salutiferum, contra lignum mortiferum. 1. Quia hoc lignum est clavis cæli. *Crux clausas cæli januas aperuit*, ait Chrysol. atque ita aperuit, ut nunquam claudantur, quod vidit Ioannes in Apoc. cap. 21. Præclarè id notat, auctor imperfecti operis homil. 4. in c. 3. Matth. *Ecce Baptisato quidem Christo cæli aperti sunt, ei tantum; postquam verò Tyrannum rejecit per crucem, & resurgens ab Angelis portabatur in cælum; videntes jam portatores, quod nunquam essent cæli claudendi,*

quia

quia non erant necessariæ portæ cælo claudendo, ideò non dicunt, Aperite portas, & introibit Rex gloriæ, jam enim erant apertæ; sed tollite portas, Principes vestras &c. Prædictum olim. *Ero mors tua ô mors.* Oseæ 13. jam per crucem impletum *Tu* CHRISTE *mundum ac terram extensis manibus, tu cæleste sustentas imperium. Tuis immortalibus adhæret humeris, salus nostra. Tu Domine æternæ vitæ bajulas signum. Hæc sunt crucis cornua, quibus omnia & sublevantur pariter, & continentur. His cornibus bene hominum nititur vita, erat piè ac doctè, Iulius* Fir. *de misterijs Prophet. cap.* 21. *&c.*

Ecce lignum adversus lignum. Lignum quod est trophæum id de Diabolo, adversus lignum quod erat trophæum Diaboli, ut *qui in ligno vincebat* canit Ecclesia, *in ligno quoque vinceretur.* Esther 7. Amon suspensus in patibulo, quod paraverat Mardochæo D. Leo Ser. 10. de Passione. *Exaltatus in ligno retorsit mortem in mortis authorem. Clavi illi Diabolum perpetuis fixêre vulneribus.* Orige. homil. 8. in Ioan, *Visibiliter quidem, filius* DEI *in*

carne

carne crucifixus est, invisibiliter verò, Diabolus cum principatibus suis in ea cruce affixus est. Cum cœna suprema ageretur, Diabolus immisit in cor Iudæ, ut Christum traderet Iudæis, Ioan. 13. cum vero judex contra Christum, ferret sententiam mortis. Matth. 27. misit ad eum uxor ejus, dicens, *Nil tibi & justo illi.* Notant causam D. Ign. Martyr, epist. ad Polycarp. *Cum paranda esset crux, Diabolus tumultuabatur & pænitentiam immisit proditori, & mulierculam turbavit in somnis, & ut à crucifixione cessaret, inducere moliebatur, suam ipsius perniciem sentiebat.* Ecce lignum adversus lignum. Ecce trophæum insigne de Diabolo. Gaudeamus igitur ac triumphemus, in hoc signo carnem, in hoc mundum, in hoc dæmonem, in hoc omnes hostes possumus triumphare. Iulianus Apostata ut refert D. Nazianzen. territus monstris magicis, hoc signo in fronte edicto, monstra fugavit: Iudæus paribus agitatus territamentis, specul. Exem. illas voces hostium audivit, *vas vacuum, sed signatum.* An ergo in quo signo ipsi triumphant increduli, non potius triumphabunt
fide-

fideles? Curandum tamen, ne simus vasa vacua. Regio signo, thesaurus ditissimus signatur. Regium signum crux est: Christianus, ut thesaurus gratiæ & virtutum, curare debet. Sic fiet, ut lignum hoc Crucis, fiat nobis lignum benedictionis, salutis, & nobilis victoriæ trophæum.

MODUS LVI.

OPpositus naturali rerum dispositioni, quando rem, non eo ordine, prosequimur, quo gesta est: sed aut ab imis inchoamus, et procedimus ad superiora, aut media, summa ac infima ordine certo, & ad propositum conducente permiscem⁹. Utimur hoc modo potissimum, in genere exornativo, vel vitæ, mortisque, acta prosequendo; vel virtutum laudes. Nam sicut à vita recte ad mortem descenditur, ita à morte ad vitam rectè ascenditur, cum, priùs proposita vita tanquam causa laudabilis mortis, inde ad ejus laudes proceditur: Similiter in virtutibus, virtus aliqua specialiter relucens assumitur, & ad eam aliæ, tanquã causæ antecedentes, aut effectus consequentes revocantur: ut, si lau-

si laudes alicujus sancti humilitatem: & ad eam referas, sui contemptum, Divinæque majestatis eximiam cognitionem, sine quibus, virtus illa consistere non potest. Hic ipse nodus nectendi, & variandi summa cum infimis, ingeniosiùs & faciliùs cedit, si ipsa ratio nectendi, alicui insuper auctoritati, aut historiæ, aut symbolo, aut scripturæ adnectatur. E. g. laudaturus, D. Casimiri eximiam castitatem, imaginem ejus sacram respiciens: in qua pingitur, lilium unâ manu, aliâ crucifixum gestans, laudata inde ex occasione lilii castitate, transferes orationem ad aliud symbolum crucifixi, & virtutem patientiæ, mortificationis, humilitatis, per crucifixum signacationis, humilitatis, per crucifixum significationis tam prosecutus, utrumque deinde jungeres. Similiter in Festo D. Xaverij de ejus vita tractaturus, sumeres illud de Confessoribus, *Sint lucernæ ardentes in manibus vestris*, diceresque 1. vitam ejus fuisse lucernam, quæ lumen innumeris gentibus infundit; quod, est inter acta vitæ mediũ, 2. lucernam ardentem, qualis præcipuè est ejus conversio, & illi ardores, quibus accensus clamabat. *Satis est Domine satis est*,

3. Lucer-

3. Lucernam in manibus conservatam, quod servit & castitati inviolatæ, & vitæ à prima conversione sanctissimè custoditæ, & morti quæ quamvis in loco desolato accidit, sanctissima obvenit: ideoque est lucerna, consecrata in manibus, non objecta, nec alicubi per oblivionē neglecta &c.

PRAXIS.

In commemoratione B. Stanislai Kostka, Societatis IEsu quæ solet juxta cursum annuum contingere.

Dominica XXII. Pentec.

Cujus est hæc imago Matth 22.

A*Ccessus & Propositio.* Ut ad interrogationem hanc die commemorationis hodiernæ, respondeam, duo considero. Alterum, quod hic Beatus, interrogatus aliquando. An B. Virginem MARIAM amaret? respondit. *Quid quæris Pater? Mater mea est*, quod ipsum, cum ea animi pietate & teneritudine protulit, ut plus quam humana vox videretur. Alterum, quod Physici communiter asserunt, *Filios Matrizare:* hoc est, ut plurimum Matrum imaginem referre. Hinc infero. Beatum Iuvenem Stanislaum, siquidem Mater ejus

D. MA-

D. MARIA est, *Matrizare*, nec melius, ad prædictam interrogationem, cujus hæc est Imago? responderi posse quam Mariano, seu MARIAM Deiparam referens. Hoc ipsum, ut certius pateat, similitudinem hanc felicem, ex vitæ ejus similitudine prosequamur.

Confirmatio, per vitæ puncta non ordine quo acta sunt, sed liberè, & mixtim relata,

Scriptura sancta cum Deiparam Virginem, ejusque Maternitatem multis variisque laudibus semper depinxit, tum his quoque æternæ sapientiæ verbis descripsit, Eccl. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Hæ laudes, si objectivè sumantur, omnes inprimis congruunt, immaculatæ ejus conceptioni. Est enim in illa, Mater pulchræ dilectionis respectu DEI, cum sit purissima, ideoque amabilissima. Est Mater timoris, respectu inferni, ipsa enim in conceptione contriuit caput originale serpentis. Est Mater agnitionis, respectu Angelorum. Illis enim præ cæteris nota est animæ intemeratæ, ac immaculatæ pulchri-

pulchritudo. Est Mater spei, respectu hominum, quibus eo ipso, dat fiduciam vincendæ in posterum mortis, & peccati; quando mortis, & peccati, primò inceptũ elidit virus. Rursus objective similiter sumendo eadem encomia. Est Mater pulchræ dilectionis, in annuntiatione, quia in Sponsam Spiritus sancti, & Matrem DEI eligitur. Est Mater pulchri timoris, in purificatione, quam tanquam simplex Mater, & purificatione indigens, suscipit. Est Mater agnitionis in visitatione & in partu Virgineo, à quo & ab Angelis, & à Pastoribus, & à Regibus ut talis, agnita & culta. Est mater pulchræ spei, in assumptione, illam enim, secundum filium ejus, primam in cælis habemus advocatam. Eadem autem encomia, si accipiantur, formaliter & effectivè. Est B. Virgo Maria ipsa, plena pulchra dilectione, timore, spe, agnitione rerum divinarum: & facit ope & precibus suis, ut servi quoque & filii ejus, sint tales, atque ideo, ejus gratia.

D. V. MARIA est mater pulchræ dilectionis, & B. Kostca Matrizat, estque filius pulchræ dilectionis. Testatur id

mors, quam præter omnem naturæ ordinem, evenisse, consensere Medici: testantur flammæ cælestes, quibus continuò ad Patriam cælestem anhelabat: ac quibus, in extremo morbo æstuabat, cum speraret, prædicaretque se à D. matre, die ejus assumptionis, de terra assumendũ: Testantur contemptæ paternæ opes, honor, dignitates summæ in Patria speratæ, generis splendor, & quidquid magni, mundus polliceri potuit. Notanda cedro, aut potius medio cordis, verba D. Iustini, vitæ Monasticæ cap. 1. sic loquentis. O *mirabilis artifex è cælo missus. O incarnata sapientia Magister amoris, qua arte reparas lapsos? quibus vinculis trahis, post te filios Adam? quave virtute totum tuis legibus subdis orbem? Gravia suades, contraria corpori consulis, & tamen innumeros tibi quotidie, vendicas amatores.* Mirari id sæpius licet, sed in B. Iuvene Stanislao prædicare, qui contempto mundo, sibi maximè obsequente, pauper & cōtēptus, in religiosa domo latere elegit. Opus hoc, non est nisi amoris: cor, ad tanta facinora impensum, non est nisi plenum Divinæ dile-

dilectionis, unde & Stanislaus, plenus pulchræ dilectionis.

D. VIRGO MARIA Mater pulchri timoris, & D. Stanislaus *Matrizat*, estque filius referens pulchrum timorem: At quid timeat, innocentissima vita? imò quid ipsa innocentia, nunquam lethali culpa sauciata? Turpis est timor, qui supponit peccatum, & quanquam non insalutaris sit, servilis tamen est. Ille timor est pulcher, de quo David ad Salomonem 2. Regum. 2. *Confortare & esto vir.* Chal. *Et esto in virum timentem peccata.* Ille pulcher de quo D. Greg. homil. 6. Moral. cap. 24. *Anchora cordis est pondus timoris, & sicut majoribus, & ditioribus navibus, majore anchora opus est, ita quò justior est homo, eò majore timore indiget.* Ille pulcher est, de quo Zeno Veron. Serm. 6. de Isa. *Is solet esse genius bonæ mentis. Timet illa arte, non casu; voluntate, non necessitate; religione, non culpa.* quemadmodum egit D. Stanislaus, cum innocens, ut peccati occasionibus se subduceret, è mundo fugit, & die D. Laurentio sacra, vilibus, culinæ ministeriis sponte addictus, cum

interrogaretur, quid interea cogitâsset. Ex aspectu, respondit, ignis, & D. Laurenti prunis, ad inferni supplicia cogitatione deductus, pœnas peccatis debitas, & ignes æternos in mente voluebam. Ah mi Kostule! non tuus hic timor est, non tua supplicia? *At ubi Deus, ibi metus in Deum?* ait Tertul. de præsc. c. 41. quod dum & sentit, & præstat Divus Stanislaus, refert imaginem D. Matris, filius pulchri timoris.

D. VIRGO MARIA, Mater pulchræ agnitionis, & D. Stanislaus *Matrizat*, estque filius, pulchræ agnitionis. Maximorũ in orbe malorum, maxima causa, mentis cæcitas. Nihil volitum nisi cognitum. Quis mundum æstimet, si illud CHRISTI percipiat. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*, Matth. 16. Quis se felicem de successu & potentia temporali credat, si illud percipiat Matth. 5. *Beati Pauperes, beati mites, beati qui flent, Beati qui persecutionem patiuntur.* Quærit Isa. c. 53. *Domine quis credidit auditui nostro?* O quoties ea quæstio repetenda cum de, pec-

peccati gravitate, de mundi vanitate, de salutis incertitudine, de æternitatis duratione, agitur! Exclamavit redivivus à morte, post observatum septennii silentiũ, ingentesque sui afflictiones, Religiosus: *Nemo credit, nemo credit, quid sit mori.* Clamare hoc licet toties, quoties surdis, fabulam audis prædicari. Quamvis Isaiæ minentur, Ieremiæ plorent, Baptistæ clament, ipse Christus prædicet, in utramq; tamen aurem dormitur. O felix portio, & electa plebs, quæ cum Davide dicere possis Psalm. 39. *Aures autem perfecisti mihi.* Hujus portionis gloria, B. Stanislaus Kostca quo lumine polleret mentis, cum innumeris heroicis virtutibus, & ingenti rerum spiritualium eruditione probavit, tum illo verò facto, quo literis Parentis, magnis promissis, tum gravissimis minis à proposito vitæ sanctioris revocantes intimis lacrymis deplorans sæcularium hominum tenebras, rigavit: & eximio responso, Omnia præ cælo & Christo nihili habenda, quemadmodum haberet, habereque constanter vellet, monstravit. O Deo dilectũ Stanislaum? O lucis divinæ receptaculum?

 O fili

O filium pulchræ agnitionis!

D. Virgo Maria Mater sanctæ spei, & Divinus Stanislaus *Matrizat*, estque filius sanctæ spei. Nam ut ait D. Chrysost. *fides gloriam inchoat, spes sustinendo consummat. Sic agricola*, pergit D. Chrys. Serm. 1.8. *fructus uberes, & epulas cantat, ne imminentem vomeris laborem sentiat & sudorem. Sic nautæ, portus modulantur & lucra, ne undarum ruinas, ne maris discrimina pertimescant. Sic miles, ne vulnera metuat, prædas personat & triumphos.* Alexander Macedo ut est apud Plutar. cum munera liberalius inter amicos partiretur, interrogatus: quid sibi relinqueret, spes inquit meas. Magnificum, sed inane inventum. Ubi nunc spes eæ; ubi regna, ubi opes Alexandri? verissimè Aug. *Quidquid sine Deo possederis latius inanis eris.* In hoc certè fixerat spes suas, Stanislaus ut cum Iob diceret 19. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Non in arcis, non in horreis, non in vitæ & fortunæ successibus: ad quæ omnia auferenda validæ sunt hominum & temporum injuriæ: sed in sinu, in cordis medullis, hoc est DEO; in quo

sperans

ſperans, factus eſt filius, Virginis matris, & hæres ſanctæ ſpei. Quid nos obſecro interea? quo amore raptamur? quo anguſtiarum timore? quibus involuimur tenebris? quâ premimur diffidentia? O! Eſto auxilio beate Coſtule! & deterſis improbis amoribus, depulſis timoribus, detracta cæcitate, excluſis angoribus, fac nos, dignos tantæ matris filios, ut cum noſtrorum animorum repanſa fuerit imago, Tui ſimiles, Mariæ addicti, ac inde Deo cari, noſcamur.

MODUS LVII.

CUm officium proprium Oratoris ſacri ſit, auditores inſtruere, monere, docere: dupliciter, cum virtute ab hoc officio quodammodo ſermone averſo, procedere poteſt Orator. 1. Cum aliis, quam auditore agendo, deliberando, ſuadendo, diſſuadendo, excuſando, accuſando, conſolando, & his ſimiles actiones in ſe recipiendo dum tamen ea loquatur, quæ auditori ſerviant 2. ipſum Auditorem non permodum Doctoris, aut monitoris ſed vel per modum amici, ſociiq; alloquendo, & de

& de communibus ſalutis periculis conferendo; vel per modum nuntii, triſtia illi aut læta nuntiando, vel alios modos agendi his pares adhibendo: E. g. Dom. poſt Pent. VIII. quæ eſt de Villico diffamato, poſſet aliquis proponere. Noſſe ſe, quanti conſtet apud Dominum diffamari, atque ideo acturum ſe cum villico, ut porro pergat; cogitationes de ſuo ſtatu ſuſceptas promovere: ubi, omnia ea deberent dici, quæ in Auditoribus, ſeriam apprehenſionem, periculum ſalutis, ingenerare poſſent. Dominica 19 poſt Pentec. ad illa verba. *Quomodo huc intrâſti?* Silet interrogatus, nec eſt qui pro illo verbum dicat. Suſcipiam ejus cauſam, & pro poſſe tuebor: ubi excuſationes variorum quas prætexunt, in innocentiæ neglectu, ita eſſent adferendæ, quod ſimul pateret nullam earum, apud Deum valituram. Dominica I. poſt Nativ. ubi prædicatur, Chriſtū fore multis in ruinam, poſſet ſimiliter dici compertos ſibi eos quos hæc manet ruina. Moniturum ſe igitur ſincerè, ut mala ſua antevertant. Sunt autem non credentes, malè credentes, bene credentes, ſed malè viventes.

PRAXIS.

Dominica II. post Pentecost.

Misit servum suum dicere invitatis ut venirent Luc. 14.

ACcessus & Propositio. Si gloriari cum Paulo oportet, in infirmitatibus meis, & in virtute Christi gloriabor. Conservus sum fratrum meorum, & unus ex iis, quos destinavit Dominus, dicere invitatis, ut venirent. Idcirco huc hodie descendere, hoc opere fungi volo, atque utinam ita fungar, quatenus illis ut veniant persuadeam. Adeste igitur ô invitati? adeste quibus salutis promissio facta est. Vobis loquar, vobis ne divinam cænam negligatis suadere conabor, dummodo aures ac animum commodetis.

Confirmatio, per suasionem ad invitatos directam, adesse ut velint.

Primum igitur, quod vos movere debet, ô boni invitati, est summa humanitas Patrisfamilias præstolantis. Caligula, apud Suet: inter medios convivas mensæ suæ, subridens, causam risus dedit. *Quia vos omnes possum occidere.* Domitianus mensam

sam convivalem, apparatu pulchro, & severæ mortis imaginibus, funestavit. Absalon 2. Reg. 13. fratris sanguine dapes polluit. Pharaon & Herodes diei natalis, sacra convivalia, fœdissime cruentârunt. Nihil in hac cæna tale suspicandum, nihil verendum est, quod ut ipse invitans significet, hominem se vocari jubet. *Homo quidam fecit cænam.* Imperator ille est, & Rex Regum, ac Dominus Dominantium; Monarcha est, cujus voluntati nemo possit resistere, sed ut vos humanissimè habeat; & libertatem integram veniendi relinquit, & non Rex, non Imperator, sed homo vult dici. *Hoc sæpius revocans nobis, quod dignatus est fieri pro nobis* ait D. Greg. nascendo, docendo, invitando, solando, atque etiam judicando, & præmiando: quod dum perpenderet Bernar. in 5. Ioan. exclamavit. *O vere Pater misericordiarũ! vult per hominem, homines judicari, quo in tanta trepidatione malorum, electis fiduciam præstet similitudo naturæ;* Quid, si dum Iudex venerit id solabitur, quia homo est: quantò magis nunc debemus, hac humanitate oblectari, & capi, quia homo

est; &

est; & haberi vult, dum nos ad suam invitat cænam. Gen. 42. videns Ioseph fratres, majestate sua ac potestate turbatos. *Accedite ait ad me, ego sum Ioseph frater vester.* Esther c. 15. cum intrâsset Asveri Palatium, ac timore repentino correpta, animo linqueretur; his verbis blanditus Asverus. *Quid habes Esther? Ego sum frater, noli metuere.* Pulcherrimæ humanitatis utrumque exemplum; magni solatij indicium, O! quibuscunque hæc ejus voluntas denuntiata ad cænam suam, humanissimus homo, homo DEUS, homo convivii sempiterni Paterfamilias. Quid enim dicit cum dici vobis jubet. *Homo quidam fecit cænam,* nisi quod frater vester sit; homo de homine, caro de carne, & os de ossibus vestris. Singulare nomen non quærit, quia communis illi, ut natura, ita bonitas est. Lex erat, ut captivi qui festis Iani, vestem Imperatoriam attigissent, libertate donarentur. Præstiturus id beneficij Severus, sponte carceres adiit, cum inde plurimis liberatis, authoritatis Imperatoriæ moneretur. *Omnibus me* inquit *do, ut omnes se mihi dent,* si hoc est, se omnib⁹

dare,

dare, vestem tangendam concedere: humanitatem sibi inducere, Divinitatem humanitate vestire, atq; homines, humana formâ habitu, voce ad se invitare, quid erit. O dura pectora! quæ tantæ humanitati non cedunt, quæ humanissimum hominem se invitantem non audiunt.

Nec tantùm, humanitas invitantis, eos pellicere debet, sed & ejusdem, singularis circa nos amor, & vestri boni cura. Inter celebratissima orbis convivia, habetur convivium Asveri, quod Esther 1. fecit grande, & multo tempore centum videlicet & octoginta diebus. Quo id fine! *Vt ostenderet divitias gloriæ Regni sui, & magnitudinem atq; jactantiam potentiæ suæ.* Hæc Asveri, hæc mundi convivantis meta, jactantia, gula, luxus. Proponunt cibos, ut colligant opiniones, proponunt pocula, ut bibant superbiam. Se vendunt, & se licitantur simul, nec convivarum bono, sed suo luxuriantur. Longè à vestro, ô invitati, is animus Patrisfamilias! Parata est Cœna, & ab ipsomet parata, *fecit* enim *Cœnam* non fieri jussit, ut repræsentaret, quod de Principibus dixit Cassiod. lib. 12.

Dona

Dona Regum, nulla debent pollutione fuscari, sed sicut ab ipso exeunt copiosa, ita debent ad cives pervenire, mutant enim quamlibet largitatem ministrorum manus. Quis verò ejus præparationis finis. Necessitatis vestræ providentia: Quam vel ex eo probat, quia tanta sollicitudine vos invitat, & nisi adsitis, ex vicis & plateis pauperes colligi jubet, ne beneficentiæ fraudetur solatio. Hoc ipsum prodit, dum convivium quoque suum, cænam appellat. *Cæna dicitur* inquit D. Greg. *quia post cænam nullum convivium restat.* Heu quanto studio vana mundi aucupamur jentacula! Quanta gula in prandia sæculi & voluptatum ruimus? His tamen, nisi ad cænam hanc accedamus, nunquam saturi futuri. Post jentacula prandia, post prandia cæna, *post cænam, nullum convivium restat.* Prò quanta siti, à tot millibus annorum, premitur clamans ex inferno epulo Luc. 16. *Pater Abraham miserere mei, & mitte ut intingat extrema digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam.* At post cænam, nullum convivium restat. Prô quantam famem patiuntur! à tot sæ-

culis

culis infelices illi, quibus Christus minatus Lucæ 6. *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.* At post Cœnam, nullum convivium restat. *Felix pestilentia*, ait Quint. declam. 12. *Felix præliorum strages, deniq; omnis mors facilis, fames aspera durissima necessitatum, asperrima malorum;* nisi tamē invitati obtēperaveritis, toleranda hæc æternum erit. Post cænam nullum convivium restat. Unde & vos tremenda petit sententia. *Non gustabunt cænam meam.* Cœnam itaq;, post quam, nullum convivium restat, cænam eamque magnā, id est ut placet Euthymio, quæ finem nesciat. *Circuibunt igitur civitatem, psal. 56. et famem patientur ut canes.* Allatrabunt portas, heu! clausas, odorabunt cibos, heu! negatos. Semper esurient & semper negabitur cibus, semper latrabunt, & semper dura cruciabuntur fame, dum interea vocatis & obedientibus applaudet Paterfamilias verbis apud Isa. 65. expressis. *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis, ecce servi mei bibent, & vos sitietis, ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini, ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis,*

& vos

& vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ululabitis. Nil tum proderunt vitæ Domino sublato, nil boves pinguib⁹, ac mactis, nil uxor, nil liberi, nil affines, singulis pro se aut sollicitis aut afflictis.

Adeste igitur invitati! & si non movet vos humanitas invitantis, moveat necessitas vestra. Vestrum bonum agitur, si paretis, vestrum malum vertitur, si recusatis. Nihil illi mihi respondent O auditores? vos quid quæso respondere par sit decernite, aut si alii stultescunt, alieno exemplo sapite. Ne quæso tempus invitationis vestræ, tempus salutis, vanis mundi occupationibus insumite. Pereant opes, pereant voluptates tandem periturae dum vos perdere festinant &c.

MODUS LVIII.

AB adjunctis, Quis, quid, ubi, quibus auxiliis Cur, Quomodo, Quando, Dupliciter in illis proceditur. 1. Aliquot adjuncta examinando, ut si in festo Conceptionis Deiparæ Virginis proponeres, dicturum te! quid sit sine originali labe concipi. 2. Quomodo id fieri cum D. Virgi-

Virgine MARIA potuerit, 3. Quibus rationibus ad id credendum adduci possimus. 2. unum aliquod adjunctum subdividendo E.g. in Annuntiatione. B. Virginis Mariæ, ad illa verba, *Gratia plena*, posses proponere, te acturum: quali gratia D. Virgo plena, scilicet, gratia gratis data, gratia gratum faciente, gratia ex opere operantis, quæ singula explicata, justam constituerent orationem. Similiter 3 Epiphan. de Centurione, *Domine non sum dignus*, quando paucis verbis multa impetrantur. 1. Ubi magna necessitas, *vinum non habent*. 2. Ubi magna fides, ut hodie 3. Ubi magna charitas, *Domine ecce quem amas, infirmatur* Ioan. 11. Exemplum primi modi habetis sub modo sequenti, cum alio præcepto. Secundi modi sit

Dominica X. à Pentecost.

Publicanus longè stans, noluit, oculos, ad cælum levare, sed percutiens pectus suum dixit. Deus propitius esto mihi. peccatori. Luc. 18.

ACcessus & Propositio. Bonum Dominum habemus, dicebat B. Episcopus Turo-

Turonensis, bonum Dominum nos habere, continuò gloriari par est, in hodierno præsertim exemplo, in quo publicano tam facilè, tam ingentes culpas, donari videmus. Eheu! inferni titio, mortis præda, æternitatis infelicis miserandus debitor, ad pauculas voces, ad exiguam pectoris tunsionem, omnibus culpis absolutus abit justificatus in domum suam! O dolorem felicem! O dolorem omni gaudio dignum! utinam is nobis contingat! atque ut contingat cooperari creatori nostro studeamus, ideoque ab exemplo publicani, qualis debeat esse dolor de peccatis, qui verus est discamus.

Confirmatio, à diviso adjuncto, qualis?

Primùm igitur, dolor publicani est dolor humilis, stat enim à longè, & non vult oculos levare ad cælum. Benè, longè à Deo, quia hic est status miseri peccatoris. De quo Psalm. 15. *Longe à peccatoribus salus*, & Psalm. 5. *non Deus volens iniquitatem tu es. Neq; habitabit juxta te malignus, neq; permanebunt injusti ante oculos tuos.* Infernus est locus peccatorum, Cælum sedes Dei. Magnum inter hæc, chaos

firmatum eſt. teſte D. Luca cap. 16. ut proinde, qui ſe peccato addixit, noſcat, quantum à cælo & Deo diſtet, quantum & à bono Patre, à quo malus prodiguſque ſalutis filius, profectus eſt in regionem longinquam. Sed frons meretricis, facta eſt multis, totoque defluxit cultu verecundia. Videas non rarò monſtra, nullis oculis digna, qui pænitere ſe de peccatis dicant, & in ipſa pænitentia, collo, audaciaque erecta, nihil minus quam pænitentis habitum proferant: Imparati, inordinati, læviſſimo dolore, vix ulla præparatione, tribunalia ſacra adeant, & cum ſcelera ſua decuſſatim, properanter, ac penè inimicè coram ſacerdote demurmuraverint, nulla ſeria præmiſſa præparatione, ſacra altaria invadant, euchariſtiam frequentent, oreq; adhuc libidines, & contumelias ſpumante, Deo ſub tegmine patris velato, appropinquent. O incredibilem audaciam! O turpiſſimam arrogantiam! nec ſui, nec DEI memorem. *Sancta ſanctis* inclamabat olim in ſacris euchariſticis Diaconus. Clamat autem & nunc Paulus 1. ad Corinth. 11. *Qui indignè manducat judicium ſibi*
man-

manducat. Siste peccator. Quo tam facilè ruis? Sinum Dei petis! nec pedibus dignus. Dextram aut sinistram Dei affectas? Nec terram meritus. A longe cum publicano subsiste, indignitatem tuam expende, moram pœnitentiæ, & præparationi concede, & tunc justificandum te sperato, cum te vilissimum coram DEo, ut es, agnoveris. Unde & à cælo oculos tuos averte, nisi fulmen illud conspicere cupias, quo petiit avaros D. Chrysos. *Quid aspicis in cælum, ubi nihil habes depositum?* at, & plura fulmina ruent, quæ D. Chrysol. Serm. 122. super illa verba de epulone *Elevans oculos cum esset in tormentis* notavit, atque his elocutus. *Serò dives sursum oculos levat, quos semper depressit in terram. Dives quo oculos levas? ipsi sunt accusatores tui, quo oculos levas? ipsi non placant judicem, sed inflammant; non reportant veniam, sed reatum; & exigunt pœnarum cumulum, non solamen. Quo oculos levas? ibi est Lazarus, ibi est impietatis tuæ proditor, testis criminis, crudelitatis assertor.* Hæc enimvero humilis publicanus apud se cogitabat, hæc dolor cogitat, qui verus

 est

est dolor, ut exaltandum coram DEo hominem, salutariter humiliet.

Alterum, quod dolor publicani habet, est, quod sit dolor, cum detestatione vera peccatorum conjunctus; quod significat & oculorum dejectio, quæ solet assumi cum aliquid detestamur, & pectoris dolorosa tunsio, de qua D. August. *Pectus percutiebat, pœnas à se exigebat.* Tundunt tamen multi pectus, sed non à se pœnas exigunt. Anaxarchus Philosophus, cum in eum Tyrannus sæviret *Tunde*, ait, *saccum Anaxarchi, Anaxarchum, non contundes*, in Apoph. Hoc totâ vitâ multi clamant. Tundit pectus avarus, sed avaritiam non deserit, à se pœnas non exigit, avaritiam non tangit, sed saccum quatit. Tundit libidinosus pectus, sed continuò sordibus inhæret, pœnas à se non exigit, libidinem non tangit, saccum quatit, non se. Te pete avare, te libidinose, te superbe, à te pœnas exige, te tange, ut scelera excutias, non solides, D. Aug. id ipsum de disciplina Christiana suadente. *Erubescamus saltem, confiteamur, & pectora tundamus, non ut super peccata nostra*

pavi-

pavimentum solidemus, nam qui tundit pectus, & non corrigit, solidat peccata, non tollit. 1. Reg. 24 cum Saul, David Chlamydis oram abscidisset, id ipsum tanquam crimen in se redarguens *post hæc* ait scriptura, *percussit cor suum David, eò quod abscidisset oram chlamydis.* En notam, en punctum, quo debet tundere manus pænitentis, non vestem, non corpus, non saccum, sed *cor* percussit David. Per pect⁹, ad cor plaga penetravit, & peccatum sede sua excussit. Hoc egit & felix publicanus, & hoc agere debet, quisquis de peccatis verè dolet.

Tertium quod dolor publicani habet, est, quod sit *sincera hominis conversio ad Deum.* Patet id ex verbis, quæ supplex protulit. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Videamus ut nihil respiciat, nisi se & Deū, multum diversus ab illis, de quibus Oseæ 1. *Non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus super triticum & vinum ruminabant.* O quot quotidie ululatus, quot gemitus, quot planctus. Hic mortem liberorum, ille domestica: possessiones alius, in pænam peccatis ereptas

Prædia alius incensa plorat, hi ululant super damna temporalia, fletu inutili, nec clamant ad Deum in cordibus suis clamore publicani. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Dicebat Pampo Abbas, in V. V. P. P. *Ego & Deus in mundo.* Vox religiosissima, & fiduciæ plena. Urgent tentationes & adversa, ne timeas, dic. *Ego & Deus, in mundo.* Instat orationis tempus, ne evageris, sed dic. *Ego & DEVS, in mundo.* Singulariter tamen qui verè de peccatis dolet, hoc cogitet. *Ego & Deus in mundo.* Infandum est demeruisse cælum, horrendum meruisse infernum, leviora tamen hæc sunt, sincerè pænitenti: hoc unicè summè dolet quod Deum offenderit, & tanquam res aliæ non essent in mundo, hæc duo, se offendentem, & Deum offensum cogitat, intimeque ingeminat. *Deus, propitius esto mihi peccatori.* O quàm altè ascendit, & quàm dimissè hîc mens publicani descendit. Sustulit se supra se; & vidit Deum, descendit ad se, & vidit se, sed qualem? qualis apparere potuit in comparatione summæ Majestatis, & humanæ vilitatis, summæ sanctitatis, & abominandæ turpitudinis,

tudinis, summæ dignitatis, & miserandi nihili, summæ justitiæ, & potestatis, & peccaminosi demeriti, atque ideò exclamavit. *Deus mihi* summa sanctitas, scelerato summa dignitas, vilissimo, summa bonitas, propitia esto peccatori. *Abyssus abyssum invocat; in voce cataractarum tuarum dixit*, Psalm. 41. Audis DEUM? noveris abyssum, summæ misericordiæ, audis peccatorem, noveris abyssum summæ miseriæ, abyssus igitur abyssum invocat; cum misericordiam miseria implorat: sed si verè implorat, ita implorare debet; ut Deum solum cogitet; Deum offensum doleat. Tum enim, verus est dolor & perfecta conversio, tunc homo, fit ille unicus, qualis hodie Publicanus, antehac David Psalm. 24. *Quia unicus & pauper sum ego.* Cui adscribens Cassiodor: *Quia unicus plus amatur, quia pauper plus doletur;* Unde, & cum adulteram, Christus absoluturus misericorditer esset, non prius id gratiæ præstitit, quam cum abijssent Pharisæi Ioan. 8. Et tunc relicti sunt duo. *Miseria & misericordia*, inquit D. August. Tract: 32. in Ioannem.

MODUS LIX.

QVando adagium, Proverbium, aut Paradoxon aliquod assumitur, cujus sensus explicetur atque probetur.

PRAXIS

In festo Trium Regum.

Quod in Polonia, usitato proverbio, Largũ vesper *nominatur.*

A*Ccessus & Propositio.* Largum vesper, hodie occinimus & largum vesper, mutuò gratulamur. Videamus cui, & quomodo, dies hodierna ferat largum vesper.

Confirmatio, ab explicato Proverbio, per adjunctum, cui & quomodo.

Largum vesper, à tribus magis hodie Christo. Quid ni? Triplex munus assignat, Iurisprudentia & Theologia, à lingua, à manu, ab obsequio. Omni hoc genere suam liberalitatem in Christum, tres Reges testati sunt, obtulerunt enim imprimis munera à lingua, cum ejus Regiæ & divinæ dignitatis magnanimi confessores adjere Ierosolymam *dicentes: ubi est qui natus est, Rex Iudæorum.* Quid agitis O sapientissimi duces? non capit cælum duos soles,

nec

nec duos reges Imperium. Videtis, ut turbetur Herodes, & cum eo Ierosolyma, & Regem novum inquiritis? Nihil hæc illi æstimant, dum debitam Christo confessionem reddant, munus scilicet à lingua, & largum vesper. Obtulêre item munus à manu, de quo apertè Evangelista: *Apertis thesauris suis* Matth. 2. *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Regalis liberalitas & digna consideratu. Obtulerunt aurum, & in auro testimonium supremi dominii, in thure, decus summi sacerdotii, in myrrha confessionem, divinè subsistentis humanitatis. Obtulêrunt aurũ, & in auro opulentiam suam, in thure dignitates, in Myrrha spem immortalitatis incorruptibilis. Largum igitur vesper, iterũ, de munere manus Christo à Magis. Largũ denique vesper de munere ab obsequio, quod reddiderunt, id ait sacer textus, *cum procidentes adoraverunt eum.* O quantum in animis excitandis, fides vera valet, & quantum in iisdem effringendis, fides languida ac mortua! viderunt Reges, infantem involutum levibus panniculis, videmꝰ & nos involutum, pannis accidentibus: [illegible] vide-

viderunt illi in ſtabulo, nos in templis: viderunt illi in præſepio, nos in aris: viderunt illi mediū inter bovem & Aſinum, nos medium, inter ſacerdotes, & principes ſacerdotum: viderunt illi recenter genitum, nos in cælis regnantem: viderūt illi pauperem, nos omnibus dominantem, & heu! illi procidentes humillimè adoraverunt, nos templa & præſentem Majeſtàtem, multis frequentiſſimè irreverentiis dehoneſtamus. *Oſſa oſſa digna foſſa, tot oculos habetis, & Regem non videtis* exclamavit impatiens olim aleator: ſed potiori jure, id ipſum ſupra illas cervices inclamemus, quorum ſuperba, ac inſolentia capita, paratus eſt DEUS conquaſſare, in hoc quoque Regum exemplo diſcant, quem cultum ſummo opifici & Domino debeant. Interea cedit adoratio Regia, in munus Chriſto, ab obſequio; & in largum veſper, at non ſinit ſe divina liberalitas ab humana vinci, ideoque ut à Regibus Chriſto: ita

Largum veſper à Chriſto Regibus 2. Paral. 9. cum veniſſet Saba Regina ad Salomonem, ut tentaret eum in ænigmatibu

tibus in Ierusalem, *dedit Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis & gemmas pretiosissimas.* Liberalia sanè munera, sed & reciproca liberalitate pensata V. 12. *Rex autem Salomon, dedit Reginæ Saba, cuncta quæ voluit, & quæ postulavit, & multò plura quàm attulerat ad eum.* An & Sabæi Reges, à Regina Saba? & plus quàm Salomon hic? ideoque dubio omni procul, quod receperint, quæ voluerunt, & quæ postulaverunt, & multo plura, quam attulerunt, triplici singulariter addita gloria 1. Quod minores, tulerint benedictionem majorum. 2. Quod insigniti sunt, titulo trium Principum fortissimorum. 3. Quod tulerint benedictionem trium Patriarcharum. Gen. 4. cum valedicens Iacob filiis Ioseph posuisset dextrâ super Ephraim, minorem natu. *Non ita convenit Pater* dixit Ioseph. *Quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput ejus.* Cui Iacob *scio fili mi, scio, & iste quidem erit in populos, sed frater ejus minor, major erit illo, & semen illius crescet in gentes.* O Ephraim! O popule gentilis, sinistram merite! quas gratias hodie Deo referas?

referas? Ecce novus Iacob, & Iacobi author Christus, ponit dexteram supra te, ecce benedicit in tribus gentium Principibus tibi? Merito turbatur, posthabita Ierosolyma, sed laudent DEum omnes gentes, quia largissimum benedictionis in magis, cum ipsis magis, à Christo vesper accipiunt 2. Regum 23 sitiens David exclamat. *O si quis mihi daret aquam, de cisterna, quæ est in Bethleem.* Quibus auditis, terna exercitus decora, tres non jam Curtii nec Horatii, sed divinis laudibus asserti. *Tres fortes, tres robustissimi, irruerunt castra Philisthinorum, & hauserũt aquam de cisterna Bethleem, quæ est juxta Portam.* O Bethleem! O domus vitæ! O salutis fons! quanta ad te siti anhelabat, extrema gentium necessitas? Ecce hodie tres, quiq; perrumpant, & id laudis ferant. *Tres fortes, tres robustissimi*, quod est, à Christo veniens, illis, largum vesper. Venit tamen & aliud scilicet benedictio trium Patriarcharum, Abrahæ, Isaaci, & Iacobi, quibus id promissum, ut fierent, Patres omnium gentium: sed non nisi in hodiernis magis completum, de quibus merito D.

Leo

Leo Serm. 2. Epiph. *Agnoscamus dilectissimi, in magis adoratoribus Christi, vocationis nostræ fideiq; primitias, & exultantibus animis, beatæ spei initia celebremus. Exinde enim in beatam æternitatem cæpimus introire.* Et D. August. Serm. 30. de tempore. *Illi primitiæ gentium, nos populi gentium*; Largum inde vesper tribꝰ magis, ad quos pro auro, omnium Christianorum principum diademata & sceptra; pro thure, omnium sacerdotum, Episcoporum, Pontificum sacra, pro Myrrha, omnium Martyrum, Confessorũ, Virginumque sanctitas, tanquam ad primitias nostras delata. Infelix mater, infelicissimum ediderat partum, cui nomen, Oseæ 1. *Absq; misericordia* & iterum, non *populus meus*. Cedat hic timor à nobis, quia in patribus nostris susceptis, impletur, quod item Oseæ 2. promissum, *Et miserebor ejus quæ fuit absq; misericordia, & dicam, non populo meo, populus meus es tu.* Largum igitur vesper à Christo tribus magis. Utinam verò sit, prout esse debet. Largum vesper à nobis Christo: si vicissim volumus Largũ vesper à Christo offerri nobis. *Sitit Deus,*

sitiri

sitiri ait D. Nazian. Orat. 40. & promptus est, nummum regno rependere, *cui census deficere non potest* inquit Chrysol. Ser. 25. sed hem! nostram parcitatem. *Sunt enim nonnulli hæretici* ait D. Gregor. homil. 10. in Evang. *qui hunc DEum credunt. Hi profectò ei thus offerunt, sed offerre etiam aurum nolunt. Et sunt nonnulli, qui hunc Regem æstimant, sed Deum negant. Illi videlicet, ei aurum offerunt, sed thus offerre nolunt. Et sunt nonnulli, qui hunc & Deum fatentur, sed assumpsisse carnem mortalem negant. Hi nimirum ei aurum & thus offerunt, sed offerre myrrham; assumptæ mortalitatis nolunt.* O quot ex fidelibus hanc parcitatem imitantur! fateris & credis Christum Deum? sed non colis ut Deum, thesaurum, negas cultus debitum thus. Orationibus instas, & Divina curare videris, sed eleemosynam pauperibus subtrahis? das thus; sed aurum negas. Eleemosynarius es, sed carnis licentiam non fugis: Das aurum, sed myrrham mortificationis negas. Eja Christiani, liberalem in Deum animum induamus, & quemadmodum Reges, pro largo vespere, largissimi tule-

fuerunt, ita nos relaturos, si prius, pro debito obtulerimus, confidamus.

MODUS LX.

DUcitur à partibus communibus Orationis, Exordio, Propositione, Narratione, Confirmatione, Confutatione, Peroratione: quas non ideò hîc recenseo, quod omnes semper requiram, aut à se omnimodè distinguam: sed neque de iis disputandi cum Rhetoribus, mentem suscipio. Sentiant quod lubet. Ego finem assequor, cum ostēdo, hac ratione, formari aptè sacram orationem cujus non quoad formam, sed quoad materiam, fit.

PRAXIS.

In Festo immaculatè conceptæ Deiparæ Virginis, *De qua natus est Iesus.*

E*Xordium & Propositio.* Cum in prima conceptione Deiparæ Virgini, maternitatem ejus, his verbis. *De qua natus est IEsus* Ecclesia memorat, id à suis fidelibus exigit; ut ex cognita conceptæ Virginis Maternitate, conceptionis ejus dignitatem, & privilegia metiamur. Inter cætera verò ejusmodi ornamenta, præcipuum illud, pie

piè creditur; quod sit sine labe originali concepta. Huic expendendo tantisper insistemus, quatenus ad gratum dilectæ Deo Virginis cultum, animis excitemur.

Narratio.

Notius est, quam ut repeti sit necesse, quemadmodum primis Parentibus legem Divinam transgressis, mors corporis, & animi in posteris sit transfusa. *Deflens parens* ait Chrysol, Serm. 111. *qui nos tantarum miseriarum reliquit hæredes, qui non solùm collata bona perdidit, sed omnes posteros suos, tam feris creditorib. obnoxios sic reliquit; vitium seminis, vitium est totius arboris*, quod tamen ita oportet existimemus, ut quanquam in omnes qui de lumbis Adam procedunt, derivetur macula originalis, ea tamen ipsa, non semine affecto devehatur, sed ex pacto cum Adam inito, posteris ejus imputetur; ut qui filii ejus nascuntur, nascuntur simul filii iræ, exules cæli, mancipia peccati, servi peccati servi diaboli, scilicet, ad Rom. 8. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit,*

in quo

in quo omnes peccaverunt. O durum jugum filiorum Adam! O mancipatum horrendum! prius per peccatum mori: quàm mundo cœperis vixisse: prius hostem DEI videri, quàm homo nascaris: prius carnifici subijci, quàm legis naturam perviderís: justus es Domine; & justa judicia tua. Verum tamen loquar ad Dominum, quia pulvis: siccine hic fons sceleris, omnes omnino rivos inficiet? siccine, manum avarissimi accipitris; nulla avis evadet? scio, scio, quod si *sibi, ipsa per se natura subvenire potuisset, nunquam eam ad reparandum auctor in se suscepisset.* Chrysol. ubi supra, at num, ubi abundavit peccatũ, non superabundabit tua Deus gratia? num naturæ leges non cedent, supremo legis latori? num ut alios, pro merito sinas, illam quoque, de qua natus est Iesus, illam tui Filii, illã Dei de Deo Matrem, originali labe affici permittes? num iterum, id tu quoque patieris, ô potentissime, sapientissime, amantissime tuæ matris nate? an quod edixit deinceps Aug. contra Manic: jam nunc in ejus conceptione decernes? *Si potuit inquinari Manichæe Mater mea,*

cum nasceretur; potui & ego inquinari, cum ex ea nascerer: Hic mihi sensus de tua pietate est, hunc omnibus insitum ingeneratumque cupio: nequaquam, Mariam labe originali in sua conceptione affectam: nequaquam, ullum momentum permissum, quin Matrem Dei tui peccato, & Satanæ, concessum fuisset.

Confirmatio.

Fecit id, qui & fecisse potuit, & fecisse voluit, & se voluisse, non obscuris scripturæ, patrumque auctoritatibus indicavit. An enim non posset Creator de sua creatura, pro placito disponere? aut summus supremusque omnium legum lator, legem ad suum libitum restringere? an iterum id nollet? quod in suum maximum cederet honorem, quod amor communis, apud filios efficeret, si penes illos jus omne, defendendi ab iniuria Matrem esset? quod ingens decoris ratio; ne Mater Dei esset serva Diaboli, postularet? *Decebat, decebat, ut ea puritate, quâ major sub DEO intelligi nequit, virgo illa niteret, cui Deus Pater, unicum suum suum,* loquor cum D. Ansel. in Concept. *Quem de corde suo,*

æqua-

æqualem sibi genitum, tanquam se ipsum diligebat; ita dare disponebat, ut naturaliter esset, unus idemque communis DEI Patris; & virginis filius, & quam ipse filius substantialiter sibi facere Matrem eligebat, & de qua Spiritus S. volebat, & operaturus erat, ut conciperetur & nasceretur ille de quo procedebat. An verò ea maxima sub Deo puritas, quæ tantam labem admittit? an ea quæ Angelis inferior est? an ea, in qua; Domina subditis cedit? Regina cælis; inferis mancipatur? Nequaquam. *Ideoq; totum quidquid in Maria fuit, possedit Spiritus S.* ait D. Ildefon. de virgine Maria, *quoniam virtus altissimi eam obumbravit, in conceptu & in partu. Et sicut ab omni æstu libidinis libera fuit, ita & ab omni pressura maledictionis*, cujus caput, est maledictio peccati originalis: Sed jam hodie; à virgine concussata, ut impleretur dictum serpenti. Gen. 3. *Inimicitias ponã inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Inimicitias suscepit serpens, cum Eva muliere, & cum semine ejus, & contrivit caput nostrum,

 primum

primum hominem, & erexit caput suum; ad afflandos pestifero veneno peccati originalis, omnes homines. Mittantur hodie sortes, pro inimicitiis nostro malo susceptis; indicantur inimicitiæ nostræ saluti bellaturæ. Substituitur mulieri mulier; Evæ Maria: Et quemadmodum Evam victor serpens; caput nostrum contrivit, peccato originis inflicto primo utiq; & capitali: Ita caput ejus conteritur, eodem peccato; ab admiranda victrice Maria per Christi gratiam profligato; Insidiatur quidem & nunc calcaneo ejus, hominibus virginis conceptionem & gratiam Christi nati secutis, sed, sibi ipsi semel victus diffidit: Nec jam ut continuus triumphator caput superbum attollit, sed ut calcatus insidiator, per terram serpit. *In Mariam* ait Hieronym. citatus in officio, à sacr. Rituum congre. approbato *totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quanquam aliter.* Fatemur id libenter, & idcirco, quod sacer textus mutat, ut ibi vulgata legit, *ipsa conteret caput tuum, alij legant, ipse conteret,* utriq; convenire dicimus: Christo & sacratissimæ

tissimæ ejus Matri quanquam aliter. Nam Christus, intemeratus ex naturâ verbi, humanitatem terminantis: in B. autem Maria. *Quicquid gestum est, totum puritas & simplicitas, totum veritas & gratia fuit, totum misericordia, & justitia, quæ de cælo prospexit, & ideo immaculata, quia in nullo corrupta.* Hieron. ubi supra. *Non naturæ benignitas, non seminis puritas, non parentum sanctitas, tantum muneris contulit: Sed misericordia & justitia, quæ de Cælo ex liberalitate DEI prospexit.* Unde & Proverb. 8. 22. ipsa de se, in sensu communi Ecclesia loquitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Utique universæ viæ Domini, misericordia & veritas: electio salvandorum, reprobatio peccatorũ. Harum initio viarum, antequam peccatum vires suas expediret: antequam justitia, sententiam in prævaricatores, de supplicio labis originalis subeundo, ferret: & antequam à peccato originali justificandos, misericordia secerneret: jam Maria; à Deo possessa erat, ne manus, stygii hostis in illam injiceretur, ne dens, vel unicus sau-

ciaret, ne unguis in eam impingeret, Unde late, toto illo capite, hæc Beatissimæ Mariæ liberatio, admirabilis, Spiritus sancti eloquio celebratur. *Ab æterno* pergit ibi, *ordinata sum.* Ita est ut domus DEI, ut habitaculum Spiritûs sancti, ut castrorū acies; Quis autem ordo, si ad talem domū, si ad tale habitaculum, si ad talia castra hosti accessus pateat? imò si invasio & præda permittatur? Hoc certe sinere, est speciali providentia Dei eximere, & communi abysso humanæ calamitatis, singulariter electam à Deo, & præelectam Virginem, immergere. *At non dum erant abyssi*, & Maria concepta erat. Abyssi, utique peccatorum. Abyssi prævaricationis, abyssi innumerarum calamitatum, hominibus cum peccato originis immissarum; quas, qui primus sensit, primus lacrymis suas miserias perfudit: sed, non effudit illas, oculis immaculatissimæ Virginis, jam ante Deo intentis. Unde, *nec dum fontes aquarum eruperant*, cum Maria conciperetur, necdum, *& montes gravi mole constiterunt* montes superbiæ, montes affectatæ Divinitatis, quorum pondus, ad infe-

Inferos genus humanum depressit. Sic nos miseri, gementes & flentes mundo edimur, flentes præ calamitate peccati, gementes præ pondere molis & debiti. B. autem Maria, nunquam flens, nunquam gemens in oculis Dei visa; sed *ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum*, theatro nostræ infelicitatis, scenaque doloris. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, inquit Psalm. 86 Nos nascituros valles, in quas, tot sæculorum confluunt lacrymæ & calamitates; illam, montes: nec montes qui gravi mole consistant, & premendo sint, sed montes qui cælos usque pertingant; & eam sublimem faciant. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*. Mons sanctus Abraham, mons Isaac, Iacob. at ubi illi verticem attollunt, ut sancti dici possint? ibi Mariæ fundamenta jaciuntur. Nemo sanctus, nisi justus, nemo sanctus nisi â peccato liber, quales in vita Abraham, Isaac, & Iacob, atque alij sancti: in fundamentis autem vitæ, & primo conceptionis instanti D. Virgo Maria. Parum id est. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*. Montes sunt Angeli, Archangeli, & quæ-

cunque cælum decora memorat. Montes sunt, & montes sancti, horum quoque sanctitas, fundamentũ sanctitatis, in Maria est. Quales illi semper, quam puri, quam Deo grati, talis Maria in sui conceptione, Pura, Deo grata, sancta, immaculata. *Diligit Dominus portas*, & ingressum in vitam, Mariæ; Super omnia tabernacula Iacob. Nos Rahab, nos peccatorum, nos Babylonis, nos confusionis memores simus, in Maria ait Chrysol. serm. 117. *Sanguis pluit, Caro stupuit*, unde & Psaltes concludit. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*; Ea scilicet tuæ mentis in tui conceptione, & vitæ fundamento dispositio, ea animi compositio: quæ est lætantium omnium Angelorum, in accepta beatitudine: hominum justorum, in spe beatitudinis, & vera interna sanctitate: præter quam, lætus nemo vivit.

Confutatio.

Quam jam hic lubens, quam lætus, illud Gabrielis Archangeli? *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud DEVM. Luc* 2. Instet genti prævaricatrici ultrix ira DEI, urgeat puteus os suum. Ne timeas Maria,

Exe-

Exaggerat minas Paulus, ad Rom. 3. *Omnes peccaverunt in Adam.* Ne timeas Maria. *Non morieris Esther. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta.* Neque tamen ideò Servatoris gratiâ non indigebis. Psalm. 85. *Eruisti animam meam, ab inferiore.* Quæri potest. Cur dicat se inde ereptam, quo nondum pervenerat. Respondet ad quæstionem ibidem D. Aug. *Nescio quis habet causam molestam, mittendus erat in carcerem. Venit alius, defendit eum, Gratias agens quid dicit. Eruisti animam meam de carcere. In hoc non erat, sed quia talibus meritis agebatur, ut nisi subventum esset, ibi esset: Recte dicitur liberari, quò per liberatorem suum non est permissus duci.* Non est extra Christum, sed per Christum libera Maria: nec tamen libera quia à peccato, post ejus maculam, liberata; sed quia à peccato præservata, tota pulchra, tota sine macula, amica Dei, Mater Christi, sponsa Spiritus Sancti, Domina nostra. Absit ut illi id imponamus, quod exprobrari possit, quod tegi debeat, aut laudes ejus sanctissimas velare. Gen. 20. Cum comperisset Abi-

melech, quod chara, uxor esset Abrahæ, & propter eam à DEO flagellaretur, tulit oves, & boves, & servos & ancillas, & dedit Abraham, Saræ autem dixit: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo. Hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecum sunt. & quocunq; perrexeris, memineris te deprehensam.* Grandis accusatio, innocentissimæ Saræ. Velamen oculorum ad omnes, & adjecta exprobratio. *Memento te deprehensam.* Ah! quàm gravius hæc ferirent, Deiparam Virginem, si ferire possent: Possent autem, si Stygius triumphator manus suas ostentaret, aut si cœlites Triumphatores, palmas suas numerare vellent, cum hoc Epigraphe. *Memento te deprehensam.* Memento à te styge correptam, à cælitibus gratiâ victam, memento te deprehensam.

Peroratio.

Alia mihi de te sentiendi semper suscepta ratio, aliam suscipi ab omnibus quoque intimè cupio: ô Immaculata semper, Deipara & Virgo Maria! Tu illa de qua conceptus est, & natus est IEsus. Qui dici-

dicitur Christus? Sanctissimus de sancta, purissimus de purissima Matre. Tu pro qua idem oravit & impetravit Psalm. 21. Ut eriperet Pater æternus *de manu canis unicam suam.* Tu victrix Iudith: Tu Asveri Iustitiæ, moderatrix Esther. Tu ad Salomonis dexteram, collocans thronum suum, Bersabee, tu ne ad momentum quidem in domum peccati reversa, Ruth c. 2. Tu filo purpureo, pereuntib⁹ Ierichontinis, notata Rahab. Tecum transferrentur montes in cor maris, & turbarentur gentes, adjuvit non manè solum, hoc est conceptam in utero, Deus Psalm. 45. sed manè diluculo, id est in ipsa conceptione: Te radicare voluit in populo honorificato: & præservavit, à populo peccatis infami & dehonorato Tuam hæreditatem, censeri jussit in parte DEI tui, & divisit à parte peccati & diaboli. De te quicquid orbis dicat, quicquid censeat, parum ad meritum dignitatis suæ censet. *Tu gratiarum pelagus, conceptaculum potentiæ Divinæ, sanctitatis thesaurus, officina immensorum bonorum, omnem mentis captum, & intel-*

ligen-

ligentiam superantium, ut tuus fatur Damas: Ora pro me misero, & innumeris peccatis coram filio tuo vernaculo, & suscipe duo minuta, vocis, & hujus exigui operis: animæ & corporis, vitæ, & mortis: quæ tuæ Majestati, atque singulariter immaculatæ conceptionis honori, & per Te, IESU CHRISTO Filio tuo, æternum devoveo, Huic laus & gloria in sæcula sæculorum Amen.

INDEX
MATERIARUM PRO CONCIONIBUS

***Numerus**, modum sub quo, de materiâ proposita aut in toto tractatur; aut quid tractari posset, innuitur, denotat.*

INDEX.
MATERIARUM PRO FESTIS.

Quorum in hoc opuſculo mentio habetur.

IANVARIVS.

FEBRVARIVS.

MARTIVS.

MAIVS

IVNIVS.

IVLIVS.

Aſſum-

AVGVSTVS.

SEPTEMBER.

NOVEMBER.

DECEMBER.

Si quis plura desiderat noverit me non Concionatoris munus prosecutum, sed adiumenta incipientibus suppeditantem in has materias incidisse.

Ad Majorem Dei Gloriam
& Deiparæ Virginis
Sine macula Originali Conceptæ honorē,

FINIS.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0013712

